Annus XIV Num. 4. Aprilis 1900

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IV.

DE MISSA EXEQUIALI AC PRIVATIS DE REQUIE.

Tumulo, pro cadavere Caroli, in media Ecclesia statim composito, tria officii defunctorum nocturna armonico concentu, organis tantum praeintonantibus, persoluta fuerunt, Laudibus lectis. Post quas Celebrans Augustinus cum ministris sacris ad altare processit, ut solemniorem faceret Missam. Anteibant autem acolythi iunctis manibus, candelabris vero super abaco paratis et accensis, dum interim *Requiem aeternam* concinebat cantorum Schola. Quae, cum pervenisset ad *Sequentiam*, quam pergratissimis concentibus modulata est, plures strophas, ne in longum functio nimis protraheretur, omittere opportunius censuit. Celebrantem insuper, musicali auditu natura non praeditum, organa consociarunt ad Praefationem, ad Orationem dominicam et ad *Pax Domini*. In his autem Missae partibus modulandis, haud cantu Celebrans usus est prout in Missali, sed diverso, qui in loco inductus ex prava consuetudine vigebat. Reliquis de more persolutis, Missa exequialis expleta fuit, aliis pluribus eodem tempore privatis Missis, in proxima

quadam Ecclesia, Cathedrali subiecta, celebratis, quamvis duplex I cl. non tamen cum feriatione occurreret. *Quaeritur:*

1. *Utrum lex Caeremonialis Episcoporum, sive antiqua sive recens mutata, in Missa et officio defunctorum solemniter persolvendo organa permittat, vel sub quibus limitibus? Quidque iudicandum, re in se spectata?*

2. *Utrum modulationes in Missali notatae sint de praecepto, sive Celebrantem respiciant sive ministros sacros? Quidque de omissione aliquarum stropharum in* Sequentia *dicendum?*

3. *Quando, sub quibus limitibus, et ubi Missae privatae de requie ex novo iure permittantur in die aut pro die obitus?*

4. *Quid de reliquis iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Iosephi D'Adamo, ex Magni Lycaei Gregoriani scholasticis, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 24 Ianuarii 1900; acta Epitome per Rev.mum Dom. Io: Baptistam M. Menghini ex Apostol. Caerem. Magistris.

I. Utrum lex Caeremonialis Episcoporum, sive antiqua sive recens mutata, in Missa et officio defunctorum solemniter persolvendo organa permittat, vel sub quibus limitibus? Quidque iudicandum, re in se spectata?

Ecclesia catholica ob infinitum quem divinorum

affectuum possidet thesaurum, artes omnes mirum in modum inspirat. Verumtamen per Liturgiam, quae sensuum suorum in Deum suprema est manifestatio, feracissimum illis obtulit campum, quem maxima cum libertate ingenuae in suis conceptibus artes peragrare valent. Hoc sub praepotenti Religionis influxu dum in sancto gloriae Dei opere assequendae concurrunt, praestantem illam idearum excellentiam attingunt, quae immensae pulchritudinis typum sensibili ratione exprimit. Eoque magis illae se extollunt, artisque nominis veritati respondent, quae fulgidior est pulcritudinis splendor, quo proximius divinis mysteriis accedere contendunt.

Musice autem, cunctis artibus purior, quod humanam corruptionem ceteris minus redoleat, e ritibus liturgicis praepotens sumpsit inspirationis subsidium. Musice fatur, seu animae verbum est, affectibus plenum, vividius fidei verbum et amoris, fortius ac firmius humano eloquio, verbum, inquam, quod nunc placide fluens, nunc erumpens, nunc rhythmis, num clausulis, nunc suis modulationibus, intimorum sensuum ardorem explicat.

Ecclesia itaque huiusce artis necessitatem in divinis artibus adeo sublimis persensit, ut in mysteriorum suorum confessione, atque in sibi tradito mandato elargiendae gratiae, fuse musicen adhibuerit ad animi sensus gratiarum actionis, fidei, adorationis, spei, amoris, gaudii, triumphi patefaciendos. Hinc Apostoli in annuntianda fide ad Dei laudem usi sunt cantu, uti Paulus testatur (*Ephes. V, 19)* dicens: *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.*

Apostolos secuti sunt primi illi Aegypti Patres; eosque, teste Cassiano *(De Inst. Coem. lib. II, cap. V)* dum de psallendi modo, Psalmorumque numero ambigerent, ab Angelo fuisse edoctos fama est, ut

duodecim Psalmos parili pronuntiatione, et simplicis vocis tenore deinceps, ut ipse cecinerat, canerent. Quae canendi ratio omnibus Christianis postmodum communis evasit, uti ex Plinii testimonio constat, qui in Epistola ad Traianum missa testatur Christianos stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, canere.

Non ita multo post Flavianus Antiochiae, Chrysostomus Constantinopoli, Ambrosius Mediolani, musicos canendi modulos admittere sunt coacti adversus virulentas haereticorum cantilenas, uti ex Cassiodoro *(lib. V, cap. XXXII)* Georgio *(Vita Chrysost.)* et Augustino *(Confes. lib. IX, cap. VII)*. Quippe qui et musicae modulationibus honestae voluptati inservientibus Augustinus ipse se fatetur addictissimum, ubi *(Confes. lib. X, cap. XXXIII)*, scribit, se idcirco probare suavem et harmonicum Ecclesiae concentum, ut « per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis exurgat ».

Ast solummodo tempore S. Gregorii Magni, augusti musicae Moecenatis, haec ars summam attigit perfectionem, cum ipse modulationes antea adhibitas, perpetuas notis scriptis reddidit; quinimo nec reverebatur idem Summus Pontifex pueros cantum ad perfectiorem modum redactum docere. At cum successu temporis generaliter in omnibus christianorum ritibus cantus invectus est, maiori quodam ad exprimendam laetitiam aliosque animi sensus necessitate iidem arsere desiderio, ut et instrumentorum principem, seu organum adhibere coeperint.

Hoc nomine antiqui non solummodo illud instrumentum, quo hodie utimur, significabant, sed quidquid aptum censebant ad cantilenam consociandam; eoque instrumento, quod corporeum erat, utebantur cantores, teste Augustino in Ps. LVI. Recentioris erat instituti, et a Graecis inventum nunc etiam effertur. Triplicis erat generis, quaedam enim organa ex nervis

componebantur extensis, quaedam aqua movebat, quaedam tandem aer inflabat ; huius ultimi generis communia maxime nostris hisce diebus in consuetudine sunt.

Quis primum organa, quibus hodie utimur in Ecclesiis, invenerit, in dubium a scriptoribus revocatur. Glicas et Manasses Imperatori Teophilo, qui floruit saeculo IX, organorum inventum tribuunt. Quidam apud Cresolium in Mystagogo, cap. XXVII, organa ipsa audiri coepisse in Ecclesia inquiunt, permittente Damaso Papa. Sed verior et communior sententia est quam tradunt Martinus Polonus, Platina, Iannettus, et alii, qui aiunt, eorum usum tempore Vitaliani Papae, qui floruit post medium saeculum VII, incoepisse in Ecclesia, eiusque sententiae est inter alios Ioannes Bona Cardinalis (*Divina Psalmodia cap. XVII, II*), Pagius (*Vita Vitaliani, num. XVI*) et Durandus (*De rit. Ecc. Cath. c. XIII, n. 11*).

Sero autem labentibus annis organorum ad pietatem fovendam omnes cognoverunt effectus, quamquam aliquibus in Ecclesiis severiori quodam gravitatis sensu in sacris agendis ducti, ut in Cappella Pontificia, nunquam adhibitum fuit. Nihilominus generaliter praxis contraria retenta fuit, quae praestantissimis firmatur auctoritatibus, uti sunt Democharis (*c. XXII*), Angelicus Doctor (*II. II, Quaest. XCI*), complures Synodi saeculo XVI habitae, ac demum ipsa Sancta Synodus Tridentina (*Sess. XXII*).

Tunc autem hunc usum universaliter receptum Ecclesia legibus communivit, ac semper vigilans, ut sacrum servarent typum, organis uti posse indulsit, dum praecipue haeretici illa ad excitandas cupiditates in propriam causam impie adhibere conati sunt. Cumque organa ad laetos commovendos sensus praesertim ordinata sint, ea pulsari voluit diebus solemnibus, quando populus a servilibus abstinet, et in gravioribus cultus rerum adiunctis : iis vetitis, ne inopportune distrahe-

rent, tempore luctus et tristitiae, uti in Quadragesima, Adventu, Vigiliis, funeribus. Sic et in antiqua Caeremonialis Episcoporum editione legebatur : « In Missis et Officiis Defunctorum nec organo, nec musica quam figuratam vocant utimur, sed cantu firmo, quem etiam tempore Adventus et Quadragesimae, in ferialibus diebus convenit adhiberi ». Lex autem haec gravi firmabatur ratione, orta profecto ex vehementi amore, quo filios suos Ecclesia prosequitur, maximaque dolorum quibus affecti sunt, participatione, iuxta illud Ecclesiastici *(Cap. XXII)* : « Musica in luctu importuna narratio ». Ratio autem haec apta prorsus est ac sapiens ; etenim concentibus gaudent homines, illorum vim efficaciorem sentiunt, laetumque defluvium ; unde ad superna consurgunt gestientes animi, atque in harmoniae arte intimorum affectuum quam vix cohibere valent exuberantiam student patefacere. Cum vero doloris tristitia, velut in amaritudine absconditum cor humanum afficitur, haud quaerit in rebus externis affectus suos exprimendi subsidia ; sed quamdam voluptatis speciem experitur dum ipsummet illas exprimere conatur. Qui quidem voluptatis sensus, eo sublimior quo intimius dolor in precationis fiducia, fletuque elegiaco explicatur. Ecclesia autem in defunctorum Liturgia naturalem censuit humanorum sensuum ordinem servare. Hinc praescripsit ne concentus extranei dolorem augerent, sed ut fidentis precationis eruptio veluti balsamo corda leniret.

Ast recentiores ordinem naturae vertere contendentes compluribus abhinc annis suavissima in exequiis musica delectantur, ita ut, notat Catalanus (Caerem. Episc. comm. illust. lib. I, cap. XXVIII, par. XIII), « vel ab ipsis infimae plebis hominibus, qui tametsi aere alieno gravati et non habeant quid manducent, volunt nihilominus defunctorum suorum exequias cum pompa celebrari, et Missam cum organo et musica, et cum aliis etiam alicubi instrumentis

cani ». Et in suis quae placent multum operae ponant, nam suorum exprimendorum affectuum quisquis est dominus, et si nec integritas nec gravitas rei sacrae laedatur, Ecclesia aequam dat libertatem. Hinc eiusmodi more generaliter invecto, ita ut expressio quoque communis sensus appareat, in nova Caeremonialis Episcoporum editione illum Ecclesia tollerat, sicut et organa, cum necessitas quandoque postulet, ut diversas vocum variationes comitentur : « In Officiis Defunctorum organa non pulsantur : in Missis autem si musica adhibeatur silent Organa cum silet cantus ; quod etiam tempore Adventus et Quadragesimae in ferialibus diebus convenit adhiberi ». Ex quo patet Ecclesiam perfecte cohaerentem esse sibi, cum omnino prohibeat organa in agendis pro defunctis, eaque toleret solummodo ut consociet musicam, qua silente, et illa silere fas est.

II. Utrum modulationes in Missali notatae sint de praecepto, sive Celebrantem respiciant sive ministros sacros ? Quidque de omissione aliquarum stropharum in *Sequentia* dicendum ?

Inspecto fine, ex quo cantilenae sunt in Missali notatae, patet responsio. Ecclesia vel maxime optat, unitatem suam, qua divinitus est insignita, in omnibus suis functionibus manifestari, praecipue vero in ritibus liturgicis, unitatem verborum, inquam, dictionum, motuum , cantus : in qua servanda unitate per ordinationem suorum codicum, maxime liturgicorum, diligentiorem operam posuit.

En igitur ad tuendam cantus unitatem quid invenitur in Bulla « Quo primum » S. Pii V Missali ab Ipso edito praeposita : « Ut autem a Sacrosancta Romana Ecclesia, caeterarum Ecclesiarum matre et magistra, tradita ubique amplectantur omnes et observent, ne in posterum Missa... alias quam iuxta Missalis a Nobis edita formula decantetur... statuimus et ordinamus ». Quod et perspicue declaravit S. R. C. quae

Episcopo qui quaerebat : « I. Non attendere in Missae celebratione ad cantum in Missali impressum, sed quamdam cantilenam nullibi adnotatam, ideoque ad arbitrium variabilem, estne uti usus legitimus retinendus, an ut corruptela extirpandus ? II. Quatenus affirmative ad secundum, qualis cantus in Missa adoptandus ? » sic respondit : « Ad I: *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Ad II: Adhiberi debere Editiones a S. R. C. approbatas vel exemplaria, quae authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohaerent ». Ac nuper adhuc expressius in Decreto Generali, die 22 Mai 1894, 3827 cunctis solemniter proclamavit : 1. « Cantiones quascumque vernaculas esse omnino prohibitas in omnibus Missis, quae vel solemniter vel solum in cantu celebrantur ; ita ut modulationibus, quas liturgico idiomate Rubricae praescribunt, nulli liceat alias ab illis addere vel immiscere ; et consuetudinem ea de re contrariam, si alicubi invecta fuerit, esse prorsus eliminandam tamquam abusum et corruptelam ». Quae perficiebatur legislatio in Romana, die 14 Martii 1896, 3891 his verbis: « A Sacra Rituum Congregatione postulaverunt plurimi : Utrum intonationes Hymni angelici ac Symboli, necnon singulae modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet Orationis, Praefationis, Orationis Dominicae etc. cum relativis responsionibus ad Chorum pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali ; an mutari potius valeant iuxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum? R. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam ; et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam, iuxta Decretum in una Guadalaxara diei 21 Apr. 1873.

Satis igitur clare lex se exprimit, ut nullum possit super ea suboriri dubium. Posset solummodo inquiri, uti in quaesito est, an hae a Sacerdotibus tantum, an etiam a ministris sacris servandae sint normae.

Quod indubium esse nemo est qui non videat ; nam in Missali adnotatae etiam cantiones pro Ministris inveniuntur, et omnes singulaeque rationes quae in casu pro Sacerdotibus cantum praescriptum servantibus, et pro Ministris militant. Atque de hoc indubium reddunt testimonium De Herdt, Gavantus, Castaldus, Quarti, Catalanus, Meratus, aliique cultores Liturgiae insignes.

Quod autem attinet omissionem stropharum *Dies irae* quaeritur quid de ea dicendum : et hoc est quod in ultima S. R. C. Decretorum Collectione habetur. Superior Congregationis Oratorii Taurinensis quaerit (*11 Sept. 1847, num.* **5118**) : « An tolerandus sit usus quod in Missis cum cantu praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit, etiam Sequentiae ? Item quod in Missis Defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae* et Offertorii ? ». Responsum vero est : *Negative* quoad primam partem ; quoad secundam vero, ac tertiam vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia quae precationem suffragii respiciunt ». Inde aperte resultat, sub nomine *precationis suffragii* intelligi et *Dies irae*, cum de ista praecipue facta sit mentio in quaesito. Id nihilominus non clare apparebat Episcopo Portus Aloisii, qui per S. C. de Propaganda Fide quaesivit (*9 Mai 1857, num.* **5243** *ad 1*) : «Num in responso a S. R. C. die 11 Sept. 1847 in Taurinen. ad dubium secundum dato quod respicit Missas Defunctorum cantandas, verba illa *precatio suffragii* includant Sequentiam *Dies irae*, quae vix vocari potest oratio vel precatio ? Item : Num in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium ? Sed responsum fuit : « Ad I : *Affirmative* ad utrumque ».

Quae cum ita sint, nullum potest hac super re dubium excitari, nec intelligitur qua ratione praefata sequentia tam sublimem inspirationem habens, tam

ardentem precantis animi vim possidens, omitti debeat.

III. Quando, sub quibus limitibus, et ubi Missae privatae de requie ex novo iure permittantur in die aut pro die obitus ?

Erga mortuos cultus, intimus est humani cordis affectus : ac nunquam extitit populus, etiam inter barbaros, qui erga illos pietatis sensum non habuisset. Verum ethnicis, qui et mortuos divinitate donabant, usque ad Hebraeos, qui : *sancta et salubris cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*, praedicabant. Quae autem possidet infinitum gratiae thesaurum in remissionem culparum, Ecclesia Catholica, illo vel a primordiis suis usa fuit in mortuorum levamen. Hinc Missae pro defunctis quae Apostolicae institutionis sunt, et ad nos usque retentae, ut dicat Rituale Romanum *(Tit. VI, I, 14)*: « Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ». Verum etsi tam dives esset Ecclesia in precibus effundendis et suffragiis erga defunctos suos, obitus tamen die, seu depositionis, unam solummodo Missam de requie in duplici permittebat, quae etiam cantata, haud lecta, dicenda erat. Ex quo tamen nonnulla, successu temporis, orta sunt incommoda, ob auctum duplicium numerum ; cum dies remanerent perpauci, in quibus Missae de Requie privatae celebrari potuissent, et quandoque, nec raro, eadem fuisset Missa solemnis impedita.

Hinc S. R. C. Ritualis legem benignius exponens opportunum censuit novum condere Generale Decretum sub die 19 Mai 1896 a SS. D. N. Papa sub die 8 Iunii postmodum confirmatum sequentis tenoris (num. 3903) : « In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas, quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis

a Festo duplici 1 vel 2 classis, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis : item quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis quum publicis tum privatis, et in Sacellis ad Seminaria, Collegia, et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis, sub clausulis et conditionibus, quibus iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primae classis, Dominicis aliisque Festis de praecepto ».

Ex quibus patet responsio circa quando, seu dies, quibus dictae Missae privatae permittantur. Licet enim Decretum eas indulgeat quando et solemnis seu cum cantu permittitur, excipit nihilominus etiam omnia duplicia primae classis quaecumque, et etiam quaecumque festa cum feriatione recolenda. Diebus itaque, in quibus duplex quodcumque primae classis, puta festum Sacratissimi Cordis Iesu, in quibus occurrit festum de praecepto in foro servandum, puta Purificatio vel Nativitas Deiparae, et in Dominicis, Missae privatae pro defuncto, etsi die obitus, interdicuntur: aliis vero diebus indulgentur.

Limites autem et conditiones, locumque, in quibus hae Missae coarctantur , exhibet Decretum in *Romana* diei 12 Ian. 1897, num. 3944, statuens : *a)* eas non posse fieri in Ecclesiis, aut Oratoriis publicis, nisi praesente cadavere, vel physice, vel saltem moraliter : *b)* easdem Missas locum habere non posse in Ecclesiis aut Oratoriis publicis, nisi Missa etiam exequialis habeatur (Dub. III) : *c)* cum Missa exequialis requiratur, eaque in una tantum Ecclesia aut Oratorio publico haberi possit, dictas privatas Missas in una tantum Ecclesia posse fieri, in reliquis esse prohibitas : *d)* eadem de causa, non in pluribus die-

bus, sed in uno tantum esse indultas, videlicet aut in die, aut pro die obitus, et semper non ultra biduum ab obitu vel depositione, cum etiam exequialis in uno tantum die permittatur.

IV. Quid de reliquis iudicandum, ut in casu expositum est ?

Nihil dicendum videtur de organis tantum praeintonantibus, nam in Caeremoniali Episcoporum est quidem sonus organi vetitus in Officio defunctorum, sed hic organa non pulsabantur ad Officium, tantum praeintonabant, quod nullibi prohibitum invenitur.

Sed non idem potest dici de acolythis qui anteibant iunctis manibus, candelabris vero super abaco paratis et accensis ; nam ipsi idem cum candelabris accensis procedere debebant : ratio est quia Rubrica hanc de candelabris super abaco dispositionem silentio praeterit, cum in Tit. XIII, n. 2, ubi ea quae ex Missa solemni pro vivis in solemni de Requie omitti debeat recenset : quia cum haec Rubrica vult ut acolythi, manibus iunctis, sine candelabris, procedant ad Evangelium, expresse notat : quia demum omnes Liturgiae expositores hoc idem uno ore affirmant. Sufficit meminisse verba Martinucci, qui loquens de Missis solemnibus Defunctorum, ait: «Sument (acolythi) candelabra accensis candelis, et procedent ad Altare ordine solito » : ac postea in nota: « Etsi in quibusdam Ecclesiis mos sit apparandi in abaco candelabra pro Acolythis, sequuti tamen sumus Missalis Rubricas, ubi illa dispositio non existit, atque usum Ecclesiarum Urbis, quae officia regulariter exequuntur ». Et hoc modo inquiunt Gavantus, De Herdt, A Portu, Bauldry, Vinitor, Merati, A Carpo, aliique fere omnes.

Ab re autem se gessit et Schola Cantorum, quae plures Sequentiae *Dies irae* strophas omittere censuit, quod ad secundi responsionem vidimus esse vetitum.

Sic etiam et organa, quae consociarunt Celebrantem ad Praefationem, ad Orationem dominicam et ad *Pax Domini*, nam lex *Caeremonialis Episcoporum*, lib. I, cap. XXVIII, n. 9, manifesta est: «In Missa solemni pulsatur (organum) ..... ad Offertorium, item ad *Sanctus*, etc. alternatim ; item dum elevatur Sanctissimum Sacramentum graviori et dulciori sono ; ad *Agnus Dei* etc. alternatim ; et in versiculo ante Orationem post communionem, etc. ». Ex quo textu adeo clare patet quando sit pulsandum organum, ut inutilis videatur explicatio ; nam si organum pulsari potuisset ad Praefationem, ad Orationem, dominicam, ad *Pax Domini*, tunc Caeremoniale profecto id non tacuisset. Ceterum lex generalis est, ut, Celebrante aliquid canente, semper organa silere debeant. Quod et dicendum quoque etsi Celebrans musicali auditu non esset ex natura praeditum, quia *ubi lex non distinguit* nec nos debemus distinguere.

Male item egit ipse Celebrans haud cantu in Missali notato utens , in modulationibus Missae, nam hoc quoque vidimus prohibitum ubi de omissione stropharum in Sequentia *Dies irae.*

Ultimo loco Missae privatae celebrari non poterant duplici ratione; quia nempe et in Ecclesia dictae in qua non est peracta Missa exequialis, quae necessaria omnino est ut celebrentur Missae privatae ; et quia dictae in die duplici I classis etiamsi sine feriatione. Nam in responsione ad tertium vidimus Missas privatas pro obitus aut depositionis die concessas, non tamen in duplicibus primae classis, sicut neque in Dominicis ac festis de praecepto.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Aprilis 1900 propositae (1).

PROPOSITIO QUAESTIONIS.

Episcopo solèmniter celebrante, quinam sit ordo, uti et ratio dandi pacem inter ministros sacros, collatis inter se Rubricis Caeremonialis Episc. Lib. I, Cap. 24, n. 3 et 4, ac Decretis?

SOLUTIO.

Duo inquiruntur in quaestione proposita: verus ordo dandae pacis et ratio.

I. Caeremoniale Episcoporum in Capite 24 § 3 et 4, non iam in cap. 23 § 3 et 4 uti in *Ephemerid. Liturgicis* ex typographico errore innuebatur, quum ad casum nihil referat, praesentem illustrat explanatque quaestionem, licet magnum inter Liturgistas terveat discrimen propter plura decreta a S. R. C. olim emanata inter se pugnantia.

Nos, perpensis dispositionibus legis, opinionibus variis S. Liturgiae cultorum, necnon decretis, quae modo vigent, sententiam verum attingentem seligere conabimur.

Caeremoniale Episcoporum docens modum pacem dandi quoties Episcopus solemniter celebret inquit, tenendum esse

(1) Duo ex athenaeo nostro Liturgico Academici, cl. A. Fourneret et N. Bossi propositae quaestionis ad nos dederunt solutionem. Earum prima tunc advenit, quando fere per integrum altera typis iam mandata fuerat. Quaesito proposito uterque quod primam attinet perfecte satisfacit: quod spectat alteram cl. Forneret primas tenet. Hinc ex prima solutionis parte quae est cl. Bossi, et secunda quae ad cl. Fourneret pertinet, totum, ut ita dicamus, considerantes, utramque ob oculos lectorum ponere indicavimus: ut intelligant non solum legem, sed et ipsius legis sapientiam, veniam interim petentes si prima a secunda dicendi ratione discrepet.

eumdem ordinem qui adhibetur in thurificatione, facta tamen exceptione, quod Presbyter Assistens Diaconis Assistentibus et Ministris Missae Pacem tribuere haud debent, sed tam Assistentes quam Ministri Altaris ab Episcopo celebrante accipere debent postquam Assistenti Presbytero eam dedit. Verba eiusdem Caeremonialis hic referimus:

« Ordo autem idem erit prout in cap. XXIII lib. I § XXVII proxime praecedenti **de thuris ministratione dictum est**, hoc excepto, quod ipse Assistens non dat osculum Diacono Evangelii, et Subdiacono Epistolae, nec duobus Diaconis Assistentibus: isti enim capiunt Pacem ab eodem Celebrante statim, postquam illam dederit Presbytero Assistenti, genuflectentes prius, et post, ante sanctissimum Sacramentum, non tamen osculantes altare. Illi vero, hoc est, Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae capiunt Pacem ab eodem Episcopo Celebrante cum ab eo accipiunt communionem.

« Ab hoc paragrapho manifestim traditur ordo observandus in pace praebenda Presbytero Assistenti, qui primus ab Episcopo accipit: Diaconis Assistentibus, qui immediate post eum ab eodem Celebrante recipiunt, tandem Diacono Evangelii, et Subdiacono Epistolae, quibus est tradenda Pax non immediate post Diaconos Assistentes, sed quando ab Episcopo communionem accipiunt. Hic autem legislator supponit quod Ministri Missae Mensae Eucharisticae participes sint, quo in casu in actu communionis traditur pax et osculum.

Sed si Ministri Altaris non ad Sacram Eucharistiam accederent, quis ordo erit adhibendus ? Huiusmodi casui lex consuluitne ? Utique. En quae legimus in paragrapho sequenti, § 4 eiusdem c. 24: « Sed si fuerint Sacerdotes, et iam celebraverint, aut velint hac die celebrare, tunc postquam Presbyter Assistens cum pluviali, Pacem ab Episcopo Celebrante acceperit, ut eam per chorum distribuat, ab eodem Celebrante Pacem etiam accipiunt cum Diaconis assistentibus Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae ».

A praefato paragrapho 4 provisum fuit quoties sacri Ministri Missae ad sacram communionem non accedant, videlicet

isto in casu pacem ab Episcopo Celebrante accipere tenentur immediate postquam Diaconi Assistentes eam acceperunt.

Expositio Caeremonialis Episcoporum tam est clara, ut auferre de medio quamcumque confusionem deberet; attamen pauca sunt puncta, in quibus inter Liturgistas tanta opinionis diversitas exorta est, cum parvus sit eorum numerus, qui cum Caeremoniali plane consonant.

De aliquibus Auctoribus, qui in nostra bibliotheca prostant, opinionem afferimus.

A Bauldry incipimus: « Episcopo celebrante post Orationem **Domine Iesu Christe, qui dixisti**, dicto prius **Agnus Dei**, **Presbyter assistens**... accipit ab Episcopo pacem dicente **Pax tecum**, cui ipse respondet **Et cum spiritu tuo**, factâque iterum genuflexione, discedit comite Caeremoniario, osculumque praedictum per Chorum ordine distribuit, incipiendo a dignioribus, sicut de incensatione dictum est; hoc excepto, quod non dat pacem Diaconis assistentibus, ipsi enim capiunt pacem ab eodem Episcopo postquam illam dedit Presbytero assistenti, facta prius genuflexione ante et post SS. Sacramento, non tamen osculante altare. Diaconus vero Evangelii et Subdiaconus capiunt pacem ab eodem Episcopo cum ab eo accipiunt Communionem ut suo loco dicetur. Si autem non accepturi sunt Communionem et volunt celebrare, tunc Diaconus Evangelii debet Pacem ab Episcopo accipere, et illam Subdiacono dare (1).

Regula a praedicto Auctore tradita fere cum Caeremoniali convenit in toto, excepta novissima dispositione, in qua edocet Subdiaconum non ab Episcoopo, sed a Diacono Evangelii Pacem accipere debere.

Merati multo magis a Caeremoniali praedicto dissonat: opinionem suam nunc extendimus:

« Quando in Missa solemni, praesertim Pontificali, adest Presbyter assistens cum pluviali, dicto **Agnus Dei**, accedit ad dexteram Celebrantis (Diaconus vero ad librum) et ibi eodem Ritu, quo Diaconus, ab eo scilicet Celebrante recipit Pacem, et eam ipsemet distribuit, ut Subdiaconus, qui tunc accedit ad

(1) Bauldry: Manuale Ss. Caer. lib. 1. c. 21 § 1—lib. 1 C. X. art. 2 § 3.

eandem dexteram, et assistit Celebranti, ut supra dictum est, et regulariter, iuxta sententiam Gavanti, qui citat Crassum, dat illam prius Diacono, qui paulum se retrahit ab Altari, ut illam recipiat, et immediate post, illam dat Subdiacono. Id inquam regulariter observatur, praesertim si Diaconus sit Canonicus Ecclesiae Cathedralis, et non sit in Choro aliquis Praelatus, cui secundum consuetudinem, pax sit prius deferenda, in quo casu Assistens, illam etiam distribuet in Choro, antequam det ipsi Diacono, cui illam dabit reversus ab Altari; et tunc, qui illum comitatus est, eam recipiat a Subdiacono, postquam illam receperit a Diacono (1) ».

Merati igitur tenet opinionem quod Assistens, accepta pace ab Episcopo Celebrante, imprimis pacem dare debeat Diacono, si sit Canonicus Ecclesiae Cathedralis, qui immediate Subdiacono eam distribuit: si autem non sit Canonicus, vel in Choro adesset Praelatus, eo casu pacem Diacono dat post Chorum, qui post receptam Subdiacono tradit.

Iste auctor aliam viam ergo a Caeremoniali tradita penitus sequitur, ut liquido patet a praefata expositione. Baldeschi eandem opinionem profitetur (2).

Ercher conatur sequi Caeremoniale Episcoporum; attamen aliquam conditionem ponit, et qua ratione ad rem loquatur exponimus: « In Missis pontificalibus Pax eodem modo datur hoc discrimine, quod dicto **Agnus Dei** Presbyter assistens in suppedaneo a dexteris Celebrantis genuflectat post primam ante Communionem Orationem, statim assurgat, et osculato simul cum Celebrante altari extra corporale, ab eo accipiat Pacem, quam subinde defert Dignitatibus et Canonicis in Choro.... Interim post Presbyterum assistentem accedunt ad Celebrantem Pacem accepturi Diaconus Evangelii, Subdiaconus Epistolae, dein Diaconi assistentes primus et secundus, si hi sint tantum in ordine diaconatus; si vero sint in ordine presbyteratus, prius

(1) Pars. 2. tit. X. Novae Observ. L.
(2) Esposizione ecc. tom III. n. 52.

accedunt Diaconi assistentes, et postea Diaconus et Subdiaconus Missae (1) ».

De Herdt duas sententias exponit, una Decretis S. R. C. 17 Iunii 1606, *Bracaren.* dub. 1, ac 24 Maii 1664 *Asculana* conformis, nec non Bauldry opinioni, de qua superius loquuti sumus: altera Decreto S. R. C. 15 Martii 1608, *Alexandrina* 13, respondens, et omnino regulis Caeremonialis Episcoporum similis quae ab Auctore seligitur, rationem praebente : « Quod ultimum decretum sequendum esse dici potest post ultimam Caeremonialis correctionem anno 1727 factam, in qua integer hic numerus quartus est additus, et cui hoc ultimum decretum tantum convenire potest. Diaconi enim assistentes, Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae pacem ab eodem Celebrante, utique immediate, accipere dicuntur: et cum Diaconi assistentes nominentur ante Diaconum et Subdiaconum Missae, textus innuere videtur, hunc etiam ordinem in accipienda pace esse servandum » (2).

Qui praeterea adamussim Caeremonialis Episcoporum regulas sequuntur, sequentes Auctores S. Liturgiae recensentur:

Falise (3) Sillani (4), Patroni (5) Lerosey (6) tandem Martinucci, cuius dispositiones ad litteram referre credimus, cum sit unus ex auctoribus qui quoad caeremonias exequendas, accipi potest uti magister fere perfectus: diximus *fere perfectus*, quia raro in errorem incidit.

« Postquam Presbyter assistens, pace accepta ab Episcopo, discesserit de Altari, ascendet primus Diaconus assistens, et facta ad Sacramentum genuflexione, non osculans altare, accipiet ab Episcopo pacem, atque iterata genuflexione, ad locum suum redibit. Ascendet secundus Diaconus assistens, et pacem accipiet, ut supra. Diaconus et Subdiaconus ministrantes, nisi

(1) Enchiridion Liturgicum sec. III tract. II. c. 3. n. 93.

(2) Praxis Pontificalis tom. I. n. 197.

(3) Cour abrégé de Liturgiae pratique « Cérémonial des Offices Pontificaux § 3 ».

(4) Manuale dei SS. Riti n. 297.

(5) Lezioni di S. Liturgia p. 3ª n. 145.

(6) Manuel Liturgique tour II. sec. 8 La Messe au Trone.

de sacra mensa participent, pacem ab Episcopo successive accipient, ut de Diaconis assistentibus traditum est.

Si Ministri sacri communicabunt.... priusquam ab Episcopo S. Eucharistiam accipiant osculabuntur genam sinistram (*illus*), dicente Episcopo in illo actu **Pax tecum**, ipsis respondentibus **Et cum spiritu tuo** (1) ».

In hacce quaestione qua de causa haud auctores S. Liturgiae conveniunt? Quare ab Episcoporum Caeremoniali satis discordant? In quo reponitur eorum opinio alteri contradicens, quam tamen unusquisque prouti veram tuetur? In aliquibus diversis S. R. C. decretis iam emanatis. Sed nunc in praxi quae regula erit servanda? Postulatum huiusmodi ad *Ephemerides Liturgicae* directum fuit ab aliquibus annis decursis, et cum sit ad rem responsio, eam transcribimus: « *Ex Augusta Praetoria.* Quaeritur: An Diaconis Assistentibus competat pacem ab Episcopo recipere ante Diaconum et Subdiaconum ministrantes, an istis ante illos, si sint sacerdotes, et non communicent?

Resp. Decretum in *Bracharen* (17 Iun. 1606 ad 1) dat praeferentiam Diacono, et Subdiacono ministrantibus. At posterius in *Alexandrina* (15 Mar. 1608) hoc definit, quod nempe Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae si sint in ordine Presbyteri et voluerint celebrare, vel iam celebraverint, debent accipere pacem ab Episcopo immediate post duos Diaconos Assistentes. Modo autem citra controversiam haec ultima tenenda est praxis, seu quia Decreto posteriori, seu quia Caeremoniali Episcoporum conformior est, seu denique quia recto liturgico sensui magis est consona, atque romanae quoque praxi apprime respondet ».

Adde iuxta cl. De Herdt (*Prax. Pontif. lib. I. c. 24 n. 4*) quod «post ultimam Caeremonialis correctionem anno 1727 factam, in qua integer hic numerus quartus est additus, ei hoc ultimum Decretum tantum convenire potest. *Ephemerides Liturgicae* viam tutam in praxi sectandam demonstravere, antiquam explicite S. R. C. loquutura esset. Modo autem aliud responsum nuper

(1) Manuale SS. Caerm. lib. V, c. IX. n. 136-138.

emissum circa praesentem quaestionem excutimus, quod pariter opinionem, quam sequimur, ratam habebit.

Quaesitum quod ad rem facit est sequens:

« Quinam impraesenti tenendus ordo pacis dum Diaconus, et Subdiaconus Missae non communicant in Missarum Pontificalibus, Rubrica Caeremonialis et decretis perpensis ? »

Sequens responsio omnem adimit difficultatem, et singulas opiniones a nobis relatas si coniungamus in unam, praebet ad casum nostrum apprime responsum. Itaque:

« Ut clarior evadat responsio ad quaesitum:..... videamus prius quinam sit (*ordo tenendus*) quando communicant Ministri, deinde quando non communicant. Quando communicant res est plana, ita enim Caeremoniale Episcoporum, nullo contradicente S. R. C. decreto statuit : « Ordo autem (dandi pacem) idem erit prout.... de thuris ministratione dictum fuit ».

Postea prosequitur ut supra nos exposuimus usque ad finem (§. 3). Ergo, *ita concludit arguens iuxta* Caeremoniale Episcoporum: « Presbyter assistens accipit pacem ab Episcopo, deinde ab eodem Episcopo pacem accipiunt duo Diaconi assistentes, tandem osculum ab Episcopo celebrante recipiunt Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae, antequam communionem ab Episcopo accipiant ».

« Sed si res plana est quando Ministri ab Episcopo communionem accipiunt, non ita est, saltem prima fronte, quando ministri non communicant, in hoc casu enim habentur quaedam S. R. C. Decreta, quae non videntur inter se cohaerere, et adversari Rubricae Caeremonialis Episcoporum. Igitur imprimis ut innuatur de ista incohaerentia oportet: deinde explicatio eiusdem danda est ad statuendum quis in praesenti ordo sit tenendus. Ita se habet Rubrica Caeremonialis: « Sed si fuerint sacerdotes *etc.*» *uti superius retulimus.* Inde prosequitur: «Sed die 17 Iunii anno 1606 in Bracaren. S.R.C. declaravit, quod in tali casu, nempe quando ministri non communicant, prius debeat accipere pacem ab Episcopo celebrante Presbyter assistens ut illam choro distribuat: deinde Diaconus Evangelii pacem ab eodem Episcopo accipiens, Subdiacono ministret. Subdiaconus vero iuxta aliud Decretum ab eadem S. R. C. editum in Asculana anno 1664 die 24 Maii dat

Diaconis assistentibus. Igitur evidens est dissonantia inter Rubricam Caeremonialis et Decreta... S. R. C. aliud Decretum hac super re ediderat statuens, quod quando Ministri sunt Presbyteri et non communicant, sive quia iam celebraverint, sive quia volunt celebrare, tum Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae debent pacem accipere ab Episcopo immediate post duos Diaconos assistentes. Quod quidem decretum consonat omnino cum Rubrica Caeremonialis Episcoporum, sed sicut Caeremoniale, adversatur Decretis superius allatis. Igitur quid tenendum in praxi ? Responsio in promptu est: ultimum hoc decretum, quod consonat cum Caeremoniali Episcoporum, est sequendum... En autem ratio: anno 1727, videlicet postquam edita fuerunt omnia Decreta superius allata, facta fuit correctio Caeremonialis, in in quo integra Rubrica de ordine dandi pacem in Missa solemniori, quando Ministri non communicant, addita fuit. Quia vero ista additio convenit cum hoc ultimo Decreto, cetera alia huic contraria, censentur revocata, proindeque nullius roboris. Quod et iure tenebitur, eo quod praedicta Decreta in oppositum deleta sunt a nova Collectione authentica. Paucis itaque, hic ordo in praesenti quando ministri non communicant in solemniori Missa est tenendus, videlicet: Presbyter assistens cum pluviali accipit pacem ab Episcopo ut choro distribuat : deinde vero ab eodem Episcopo celebrante Diaconi assistentes, et tandem Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae (1) ».

Praesens solutio adimens quamcumque controversiam ad rem exortam, seu qualis via sit tenenda in utroque casu, sive quando S. Ministri Evangelii atque Epistolae communicant, sive quando non communicant propter Missae celebrationem, edocet; hoc autem Caeremonialis Rubricae, Decreto S. R. C. 15 Martii 1608 dub. 11 n. *248 Alexandrina*, unico sub hac materia existenti, nam alia a nova Collectione Authentica expuncta fuere, et tandem auctoribus S. Liturgiae, Martinucci ad rem sectantibus, est absolute conformis.

---

(1) Quaestiones anni 1895-96 n. VI. *Conclusiones*. Ex dissertat. R. D. B. Caretti, habita die 26 Feb. 1896: Epitomatore Rmo D. Roberto Marcucci. Ephem. Liturg. anno 1897 fol. 435. Quaes. 2.

Inter pedissequos Martinucci extat fidelis Ercher, sed tamen quandam facit distinctionem in praefato auctore minime innutam; nempe quod si Diaconi Assistentes essent tantum in ordine diaconatus, ad pacem ab Episcopo recipiendam accedere debent post Ministros Missae.

Quid de ista distinctione est autumandum? Respondemus: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus :* hoc est principium indiscutibile; ast, tam in Caeremoniali n. 4, quam in Decreto n. 248, non adest ulla distinctio ad hoc: ergo standum dispositioni est utriusque : videlicet ut Diaconi assistentes propter locum honorificentiores ab eis occupatum, Ministros Missae praecedant, cum sint hic et nunc illis superiores, nullo habito respectu dignitatis personalis, sed tantum officii, quo nunc funguntur.

Hanc argumentationem omne censemus ademisse discrimen inter Liturgistas praesertim veteres existens, referentes Caeremonialis Episcoporum auctoritatem Decretorumque S. R. C. modo in pleno robore existentium, et Liturgistarum, quorum opinio in pretio habetur : instruentes tutam in praxi viam tenendam in utroque casu, scilicet, ut quando Ministri altaris in Missa Pontificali ad sacram synaxim accedant, pacem ab Episcopo Celebrante accipere debeant, cum ab eo communionem accipiunt; secus immediate ab eodem Episcopo postquam acceperint Diaconi assistentes, pacem accipiant.

Castri Palatii XVI Martii 1900.

Nivardus Bossi
Plebanus S. Stephani.

II. Ratio dandi pacem inter ministros sacros fundatur imprimis super rectum sensum liturgicum. Certe minor est qui *ministrat* quam qui *asssistit*, velut et minor qui *assistit* quam qui *praesidet* aliquo modo ut actio sacra secundum ordinem fiat, et ideo nihil magis aequum est quam a Celebrante Episcopo osculum pacis recipere 1° Presbyterum assistentem; 2° duos diaconos assistentes; 3° Diaconum et Subdiaconum ministrantes, quia non convenit ut minor ipse dat Pacem Maiori.

Hoc confirmatur per decretum 17 Nov. 1592. Assistentibus

enim hinc inde Decano et Cantore, Archidiacono vero et Succentore librum, lumen, et incensum ministrante, quaesitum est quis eorum sit primo loco thurificandus, et *cui primum pax danda?* Responsio autem fuit: « Primo loco, post thurificatum Episcopum, thurificari debet prima dignitas assistens cum Pluviali, secundo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi..... (1) Unde sequitur quod pariter in eodem ordine pax danda est, quoniam nihil peculiare addit pro hac parte quaesiti Sacra Congregatio, memor sane Caeremonialis Episcoporum dicentis: « Ordo autem idem erit, prout in cap. 23, lib. I, § 27 proxime praecedenti de Thuris ministratione dictum est.... (2). Quamobrem Episcopus praebebit primo loco osculum Pacis Presbytero Assistenti, secundo Diaconis assistentibus, et postea Diacono et Subdiacono Missae, quatenus fert respectiva dignitas.

De facto, quid sibi vult Presbyter Assistens? Designat digniorem e Capitulo vel e Clero ecclesiae, qui proprie competit Episcopis, dum actu Pontificalia exercent; et quando conceditur ex privilegio in Missa non Pontificali aliis celebrantibus, notat aliquem insignitum ordine sacerdotali, ut innuit Rubrica Missalis (3), et ipsa loquendi ratio communissima, quae non dicit unquam *Subdiaconum* vel *Diaconum* assistentem, multoque minus *Clericum*, sed semper *Presbyterum* assistentem, et quidem gaudentem superiori officio quam Diaconum et Subdiaconum. Si enim isti ministrant materiam pro sacrificio et celebranti inserviunt, ille, maxime cum Neocelebrante, est quasi *Patrinus* aut *Doctor* eius, et quasi figuram concelebrantis habens in omnibus quae peracturus est novus Sacerdos. Unde post hunc tenet certe primatum in actu divino. Quapropter, si etiam in Missa non Pontificali, ipse accipit Pacem a Celebrante, ut dignior (4), a fortiori in Missa Pontificali, ubi debet esse prima dignitas Capituli vel Cleri.

Item, Diaconi assistentes, quid sibi volunt? Designant duos Canonicos post Dignitates, qui etiam competunt proprie Episcopis pontificaliter celebrantibus, et potius vere sunt ad honorem

(1) S. R. C. 17 Nov. 1592, n. 20 ad 4 (33).
(2) Caerem. Episcop. lib. I, cap. 24, n. 3.
(3) Rit. serv. Tit. 7, n. 11.
(4) S. R. C. 15 April. 1899 ad 6 *in Urgellen.*

Praelati celebrantis, cum est *apud sedem*, quam ad ei ministrandum, dum est *apud Altare*. Unde qui non celebrat pontificaliter, non habet Diaconos assistentes, quia celebrare ad thronum reservatur ad Episcopum. Illi autem qui proprii sunt Episcoporum, certe digniores sunt ac qui omni cuicumque celebranti conceduntur, et itaque Diaconi assistentes dignitate sunt superiores Diacono et Subdiacono Missae (1). Ita naturaliter explicatur, ut Episcopus det Diaconis assistentibus osculum Pacis post Presbyterum assistentem qui est super alios dignior, sed ante Diaconum et Subdiaconum, qui fruuntur officio inferiori prae Diaconis assistentibus, iuxta decretum supra citatum (2).

Caeterum in caeremonialibus latinis et graecis, habetur quod *sicut thus ministratur, ita et oscolum pacis datur*. Porro thus distribuitur iuxta dignitatem, ut videre est, lib. I, cap. 23, § 27 Caerem. Episcop., et Pax a Presbytero assistente donatur item in Choro iuxta dignitatem; curnam igitur aliter ageret Episcopus, quando dat ipse osculum Pacis suis assistentibus et ministris? Nonne hoc esset extra morem usitatum, et insuper valde indecorum, non observare varios gradus ministerii, praesertim quod hic agendi modus pessumdaret uniformitatem Pacis inter Ministros distributae conformiter ad dignitatem?

Deinde omnis hierarchia, constans ex sacris Ministris, et Presbyteris fundatur in Episcopis, qui sunt et culmen dictae hierarchiae. Nihil ergo iustius quam Episcopus det singulis huius hierarchiae ministrantibus osculum Pacis immediate, sicut et facit pro primo uniuscuiusque ordinis ordinandorum in Missa ordinationis, ad magis significandam unionem charitatis inter varios ministros una simul cum Episcopo, principe pacis in sua dioecesi, et eam concedente ad instar Christi, veluti capite gregis, ut postea gradatim descendat super varios assistentes in Choro.

Denique Episcopus habet plenitudinem sacerdotii, quae facit illum vere Pontificem sicut Papam: unde mirum non est: si in Missa quam pontificaliter celebrat, multum imitetur Papam.

(1) S. R. C. 23 Maii 1608, n. 129 (196) in fine.
(2) S. R. C. 15 April. 1899 ad 6.

Porro, quod Pacem dandam « est ritus desumptus a pontificia capella in qua, teste Patricio lib. 3, Lect. 2, cap. 24 cardinales diaconi duo assistentes pacem a Pontifice accipiunt. Id quod etiam tradit in Ordine XV romano Petrus Amelius cap. 85, ubi ita inquit: Papa data pace priori episcoporum cardinalium, qui servit in Missa (en noster presbyter assistens), immediate Papa dat pacem diaconis cardinalibus duobus, scilicet qui ei assistunt (en nostri diaconi assistentes) », et pergit Catalanus dicens iuxta Crassum, lib. I, cap. I, Diaconum et Subdiaconum accipere Pacem dumtaxat post communionem de manu Papae receptam (1). Quod perfecte quadrat cum Caeremoniali, in casu quo hi duo ministri communicare debent de manu Episcopi. Hinc modus dandi Pacem inter ministros in Missa Pontificali reservatur dignitati episcopali, in qua pariter ratio fundatur.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE IUNIO 1900.

Vesperae de Sabbato ante Dominicam Passionis, cum in eo actum fuit Officium Votivum de Immac. Conceptione Deiparae, esse ne debent de praecedenti usque ad Capitulum, an potius de eodem Sabbato?

(1) Catalani *Commentaria* in Caerem. lib. I, cap. 24, n. 3.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Thuscia*. **De quibusdam consuetudinibus circa funus exequiale**. In civitate B. fere omnia funeralia ita celebrantur. Ante delationem cadaveris ad Ecclesiam, clerus recitat primum nocturnum officii defunctorum, praemisso invitatorio, cum precibus (sine psalmo) et Oratione ut in die obitus prout in Rituali in fine tertiae lectionis: et si agatur de Sacerdote defuncto, non unum, sed tria nocturna dicuntur, sine laudibus, cum precibus, ut supra, post nonam lectionem: deinde vadit ad domum defuncti, et cadavere super currum posito, redit ad Ecclesiam. Persolvuntur exequiae, non incensatur cadaver, et tam ad primam, quam ad secundam aspersionem, Sacerdos stat ad pedes defuncti. Exequiis persolutis, transfertur corpus super currum ad coemeterium extra moenia, Sacerdote cum stola et clerico cum cruce in rheda comitante; recitando preces ad libitum. Quid?

Resp. Lege Ritualis inspecta, consuetudines, de quibus in dubio, probari generaliter non possunt. Et primo, ordo Rituum in Rituali praescriptorum invertitur. Quare enim nocturnum recitat clerus antequam cadaver efferatur in Ecclesiam? Invitatorium quidem recte praemittitur, ad preces et psalmus omittitur, et Oratio sumitur diei obitus, quia dies obitus est. Nil contra tria nocturna dicemus, si eiusmodi est usus cum agitur de Sacerdotibus; sed quare omittuntur laudes, cum tempus suppetat? Recte Sacerdos sistit ad pedes cadaveris, quia ad caput illius Crux esse deberet, si Subdiaconus adesset, et incensatio praescripta omittitur, si supponitur Sacerdos sine pluviali. Nil dicemus contra

cadaver super currum delatum tam ad Ecclesiam quam ad coemeterium, cum ratione consuetudinis tolerari debeat, nil contra usum Sacerdotis cotta stolaque induti, cum clerico ferente crucem, in rheda comitantis, cum id quoque tristitia temporum aut necessitas itineris exigat. Recitantur preces ad libitum; at Antiphona *In paradisum*, utpote praescripta, omitti non debet, et tunc preces in defuncti suffragium, esto pro lubito, improbari nequeunt, imo laudandae.

Itaque 1. reprobamus usum dicendi nocturnum, vel tria nocturna defunctorum, antequam cadaver efferatur in Ecclesiam. Haec enim exigit, ut, si fieri possit, praecipua pietatis officia, inter quae defunctorum officium, praesente cadavere fiant. Ait enim Rituale: « Constituto tempore... corpus ad Ecclesiam deferendum est... Deposito feretro in medio Ecclesiae... statim, nisi quid impediat... dicatur officium defunctorum (*Tit. VI, Cap. 3, n. 1, 4*) ».

2. Omittitur *semper* Missa, praesente cadavere, de ea enim dubium silet: hoc quoque reprobamus et maiori quidem vi, ob damnum spiritale, quod defuncto derivat, cum sit Missa ex omnibus suffragiis maximum. Hic Rituale: « Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur (*Tit. VI, cap. 1, n. 4*) ».

3. Reprobamus et usum perpetuum omittendi Laudes, quo stante, nec ipsi fideles unquam eas petere valent, utpote quod consuetudini illas dicendi contradicit. Et notandum, nos non reprobare omissionem rationabilem, de qua Rituale, sed omissionem, ut ita dicamus, consuetudinariam, quae toleranda non est.

4. Denique et incensationis reprobamus omittendae consuetudinem, quam Rituale iubet, si Sacerdos indutus foret pluviali, sive propter significationem, sive propter

suffragium. Ait enim De Herdt: « Feretrum aspergitur et incensatur: 1° ad significandum defunctum in Christo obiisse... 2° ut omnis immundorum spirituum praesentia arceatur: 3° in refrigerium defunctorum, non tantum quatenus fiunt cum recitatione Orationis Dominicae, sed etiam quatenus preces in benedictione aquae et thuris factae iis applicantur et prosunt per modum impetrationis ex parte Ecclesiae etc. etc. (*pars 6, n. 254*) ».

II. *Ex America septentrionali.* **De functionibus tridui maioris hebdomadae in Ecclesia parochiali, quae Sacramentum continuo non servat.** In quibusdam ex nostris quasi parochialibus (Ecclesiis) congregationibus pastor saepe non residet prope Ecclesiam suam, exceptis Dominicis et festis de praecepto; quia tales parvae parochiae parochum competenter sustentare non valent, hinc per hebdomadam parochus aliis functionibus, uti arti docendi, vacare debet. Inde fit quod SS.mum in talibus Ecclesiis communiter non asservetur per hebdomadam, propter absentiam parochi, et ob magnam distantiam ad adorationem venientium, necnon propter paucitatem adoraturorum. Hinc quaeritur: Utrum liceat, sine expressa licentia Episcopi, caeremonias Tridui Sacri in talibus Ecclesiis peragere, eo magis quod fons baptismalis ibi habetur, non obstante quod SS. Sacramentum non continuo (quamvis liceat per se de iure pro Eccl. paroch.) hisce in Ecclesiis asservetur?

Resp. Nemini dubitandum quod peculiariter constituit Decretum in *Neapolitana* d. d. 14 Iun. 1659, n. **1120** (1990), videlicet. « **Non licere** in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebrari Missam feria V in Coena Domini, et in sepulcro idem augustissimum Sacramentum asservari. » Verum, aliud est Sacramentum non asservari in Ecclesiis ex accidentali quadam ratione, ut in casu proposito, et aliud est Sacramentum non asservari ex prohibitione. Ecclesiae namque parochiales ius habent

et onus Sacramentum asservandi, aliae vero, excipiendis exceptis, nec ius nec onus habent. Illae asservare Sacramentum possunt et debent in gratiam fidelium parochianorum, ut si contrarium fiat, illicitum admittatur, nisi rationabilis ac probata causa excuset, ut in casu supponimus: istae autem nec possunt nec debent, privilegio secluso; quia fideles non habent subditos, quibus Sacramentum iuvet, sive ut illud accipiant, sive ut adorent. Ecclesiae proinde parochiales, de quibus agimus, poni in eadem conditione nequeunt ac aliae Ecclesiae, in quibus Sacramentum non asservatur, nec asservari potest, quamvis per hebdomadam nec illae Sacramentum asservent; asservant tamen per dominicos festosque dies, in quibus asservatio neque licet aliis Ecclesiis. Si ergo Ecclesiis ius non habentibus Sacramentum asservandi functiones sacras peragere in triduo maioris hebdomadae non licet, bene Ecclesiis parochialibus eas licere dicendum est, quae idem Sacramentum asservandi ius habent et onus, quamvis non semper id agere iusta de causa possint.

Arroges, ipsos fideles subditos ius pariter habere ut functiones tam praeclaras atque utiles videant, iisque assistant: quae si in dictis Ecclesiis parochialibus non fiant, multo minus in aliis fieri possunt. Non ergo supponi potest intentio Ecclesiae, ut fideles parochiani tanta priventur utilitate diebus tam sacris, quales triduum ultimum maioris hebdomadae constituit. Arroges etiam fontis baptismalis existentiam, qui aquae benedictionem exigit in Sabbato Sancto, ad quam Parochos S. R. C., post Rituale, per plura Decreta obligat. Eapropter non requiritur licentia Episcopi, quam ceterum hic dare nequiret, si ea indigerent Ecclesiae, cum S. R. Cong.nis facultas requiratur. Hinc ad propositum dubium respondemus: Affirmative.

III. *E Neapoli.* **De Missis in defuncti domo.** Possunt ne celebrari plures Missae in domo defuncti, de requie, prout in die obitus cum agatur de cadavere praesente ?

Resp. Ex Decreto Gen. **Qui pro Domini** d. d. 3 Apr. 1894, privilegium plurium Missarum de requie in domo spectat ad Episcopos Ordinarios et Titulares atque ad omnes Praelatos, qui iurisdictione ordinaria in plebem viventes fruebantur. Aliis quibuscumque defunctis, sive laicis, sive Sacerdotibus, etsi Praelatis, nullo pacto competit. Arroges, ipsum Episcopum loci non posse dictarum Missarum facultatem concedere, ius est enim soli Rituum Cong.ni competens. Si proinde eiusmodi usus invaluit, abusus dicendus est et corruptela.

Equidem Decretum *Aucto*, d. d. 19 Maii et 8 Iun. 1896 confirmatum a Summo Pontifice Leone Pp. XIII, indulget etiam, « Missas de requie in quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis tum publicis **tum privatis**,.. praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, fieri posse die et pro die obitus aut depositionis, sub clausulis (*tamen*) et conditionibus, quibus iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primae classis, Dominicis aliisque festis de praecepto ». Verum agitur in Decreto de domibus, quae gaudent privilegio Oratorii; in casu autem agitur de domibus quibuscumque, ne de Oratorii quidem privilegio verbo facto. Ex generali vero lege nemo nescit, Missam, etsi unicam, prorsus esse in domibus prohibitam, ut nec Episcopus loci nisi per actum transeuntem eam possit concedere gravique de causa, cum locus Missarum sola sit Ecclesia.

Ex privilegio autem Oratorii una generaliter Missa indulgetur, non plures; et in casu domus, quasi vera Ecclesia esset, indeterminatum Missarum numerum admitteret. Haec, ut reliqua omittamus, satis superque probant, praefatas Missas celebrari non posse omnino, et abusum esse prorsus reformandum.

IV. *Ex eodem loco.* **De Missa exequiali et lectis pro defuncto praesente in Ecclesia.** Missis celebratis in domo

vel non, possunt ne post sepulturam, non tamen ultra biduum, Missa cantata et privatae in Ecclesia fieri ut in die obitus?

Resp. Missas in domo defuncti reprobavimus et reprobamus, easque uti corruptelam extirpandam diximus et iteramus. Factum autem illicitum, si comprobetur, non credimus impedire posse rem licitam, imo ex lege impositam, uti sunt exequiae, rite in Ecclesia persolvendae, quae continent specialiter Missam exequialem seu cum cantu, et impraesenti alias etiam lectas. Missam enim Rituale praescribit, saltem unam, in gratiam autem defuncti praesentis Decretum Generale, nunc saltem, alias quoque privatas permittit. Adeo ut haec suffragia, si fieri possint, omnino iuxta legem sint, ac dici vetita nulla ratione valeant.

At animadvertas: *a*) Missam cantatam esse dicendam, ut sine ea privatae Missae illicitae evadant: *b*) Missas, seu cantatam seu lectas esse posse ac debere de die obitus: *c*) praeter cantatam, etiam Missas lectas applicandas esse pro defuncto, secus esse vetitas, nisi semiduplex Ecclesiae ritus illas permittat: *d)* Missam cantatam impediri solum a duplici primae classis solemniori, Missas lectas impediri etiam a duplici quocumque primae classis et festis de praecepto (1), in duplici vero secundae classis et a fortiori in duplici sive maiori sive minori non prohiberi.

---

(1) Quaesitum ex alio loco est, an Dominicae comprehendantur in festis de praecepto. Ratio dubitandi est, quia modus loquendi consuetus S. R. Cong.nis nominat **Dominicas et festa de praecepto;** sed quandoque nominat tantum **festa de praecepto**, silens de Dominicis. Sed vero inquirere licet, num Dominica sit necne festum de praecepto. Cumque certa, et nemine contradicente, danda sit quaesito affirmativa responsio, indubium quoque omnibus esse debet, S. R. Congregationem, si aliquando sola

V. *E Rucupis in Anglia.* **De qualitate et commemorationibus Missae solemnitatis translatae.** Solemnitas quorundam festorum e. g. titularis Ecclesiae, apud nos transfertur in Dominicam proxime sequentem non impeditam. Haec Missa in die Dominica celebratur ad instar Missae votivae solemnis absque ulla commemoratione in Ecclesiis ubi alia Missa Conventualis celebratur, cum vero commemoratione duplicis occurrentis et Dominicae, in Ecclesiis, in quibus nulla habetur Missa conventualis. In hac regione nulla habetur Missa conventualis, sed plures dicuntur Missae (non cantatae) die Dominica in nostris Ecclesiis. Talis Missa non cantata aequivaletne in casu Missae conventuali, ita ut excludat commemorationes in Missa solemni de festo translato? Num idem dicendum erit de Missis pro adoratione Quadraginta Horarum praescriptis, ac suntne omittendae commemorationes de ratione ut supra?

Resp. Missa, de qua in casu, illam constituit solemnitatem, pro qua S. R. C. nuper edidit Gen. Decretum, uti in III Volumine novae Collectionis legere est (*2 Dec. 1891*). Cumque normae dictam Missam moderantes afficiant omnes Ecclesias, in quibus solemnitas festorum transfertur, ab eodem Decreto etiam in casu eaedem normae accipiendae sunt. Hoc certum est, namque Decretum edicit: « Huiusmodi autem dispositiones S. R. C. servandas iubet in omnibus et singulis Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, imo et in quibuscumque Oratoriis publicis, in quibus Missa cantari solet, sive ad Saecularem, sive ad Regularem Clerum illae pertineant (n. VIII). »

En itaque praefatae dispositiones applicandae pro

---

festa de praecepto nominet, ac Dominicas sileat, has in illis vere contineri, ut quod de festis de praecepto praedicat, etiam de Dominicis, citra ullam controversiam, praedicari debeat.

casu: « Pro solemnitate, quae transfertur, nonnisi **unica Missa** intelligitur, more votivo **canenda**, ut in festo, cum *Gloria*, **una** tantum **Oratione**, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine; ubi tamen non adsit Missae conventualis obligatio, addatur **sola Commemoratio Dominicae** sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine (n. II) ».

Ad casum itaque propositum devenientes, animadvertimus, in dicta Missa commemorationem duplicis occurrentis in Dominica, etiam ubi Missae Conventualis non adest obligatio, esse omittendam, et faciendam unicam Dominicae. Additur autem in casu nullam haberi Conventualem Missam, quamvis plures dicantur lectae de Dominica, et quaeritur, num Missa lecta de Dominica Conventuali aequivalere eo sensu possit, ut in Missa solemni de festo translato excludi debeat commemoratio de Dominica. Uti patet, res satis incerta videtur; nam ex una parte Missa vel Missae de Dominica in Ecclesia fiunt, ut refert casus, licet conventuales non sint; ex alia vero lex dicit, commemorationem, ubi non adest Missa Conventualis, esse agendam. En nostra sentiendi ratio. Aliud est Missa privata, aliud conventualis, quae generaliter loquendo cantata esse debet, seu aliqua cum solemnitate celebrari. Per Missam quidem lectam habetur illa, quae officio diei conformis est, sed deest solemnitas illius, atque proinde peculiaris publicitas, Missae conventualis propria. Arroges, legem Decreti ulla sine difficultate potuisse dicere, omittendam esse Dominicae commemorationem, quoties non defuisset aliqua Missa de Dominica; et nihilominus lex edicit, tunc commemorationem Dominicae esse omittendam, cum obligatio non adest Missae Conventualis. Videtur ergo Missa lecta non aequivalere in casu Conventuali, proindeque vi legis non posse in Missa de solemnitate translata omitti commemorationem de Dominica.

Quod vero pertinet ad Missam solemnem pro Oratione

Quadraginta Horarum res aliter se habet; quia lex de commemoratione Dominicae facienda, si non habeatur Missa Conventualis, eademque omittenda, si habeatur, in instructione Clementina non extat. Ea enim supponit tantum, Missam Conventualem non esse omittendam, ubi onus adsit, quia alia canitur pro Oratione Quadraginta Horarum. En eius verba, quae literaliter in Latii linguam vertimus: « In altari ubi manet expositum SS. Sacramentum, alia non celebretur Missa praeter solemnes pro Expositione et Repositione; in quibus duobus diebus, praeter Conventualem (in Ecclesiis, ubi eius canendae adest obligatio) celebrabitur post Nonam Missa de SS. Sacramento votiva pro re gravi: exceptis Dominicis primae aut secundae classis, cunctisque diebus etc. etc. in quibus Dominicis aliisque diebus feriisque exceptis cantabitur Missa Conventualis, addita Oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione (§ XII) ».

In sequenti paragrapho XIII ait: « Secunda die, praeter Missam Conventualem, cantanda erit post Nonam Missa votiva pro pace... eadem cum norma circa Orationem ». Item in paragrapho XIV: « In Ecclesiis non collegialibus, et in quibus non adest obligatio Missam Conventualem canendi, secunda praefata die cantanda erit tantum supradicta votiva sub exceptione et norma superius praescripta in Missa de Sacramento... » Ex quibus abunde patet, in Ecclesiis ubi habetur expositio Quadraginta Horarum, sive adsit sive non, onus Missae Conventualis, unicam dicendam in Missa solemni Orationem de Sacramento, si de eo sit Missa; si vero de Dominica, de festo, aut de feria, Orationi Missae addendam esse unicam commemorationem de Sacramento.

Ratio autem huiusce dispositionis perspicua est; quia videlicet, Missa est votiva solemnis, quae unicam fert Orationem iuxta Rubricas; quod si votiva in casibus exce-

ptis dici nequeat, Missa quae dicitur de festo stat pro votiva solemni; unica ergo addatur Oratio de Sacramento propter expositionem, reliquae omittantur. At in casu Missae solemnis de solemnitate translata, haec ratio non suppetit, et lex commemorationem Dominicae praescribit tantum, ratione solemnitatis, si Missa desit Conventualis: si illa autem dicatur, nulla com. facienda praescribitur, quia Oratio de Dominica in hac Missa Dominicae necessario dicenda est.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Cherio.* 1. Thuriferarius in Missis solemnibus, tam in accessu ad altare quam in recessu, semper genuflectere debet unico genu, quando SS. Sacramentum expositum non est, quotiescumque in sacristiam pergit, vel e sacristia venit (Vide *Baldeschi*, *Esposizione* ecc. Tom. II, cap. II, in nota *a*).

In aliis casibus, quando nempe altare non derelinquit, in accedendo vel recedendo ab ipso non genuflectit. Est enim generalis regula: genuflexio in solemnibus Missis a ministris inferioribus facienda est, quando ante altare transeunt, quando ad sacristiam pergunt vel ab illa redeunt, non vero quando a credentia ad altare vadunt, uno casu excepto, nempe cum ad altare acolythus ampullas defert pro ablutione post communionem, dummodo tamen Sanguis sumptus non sit, aut si forte Ss. Sacramentum extra Tabernaculum adsit. Et bene, nam in hoc casu cum

genuflectant ministri maiores, etiam minores genuflectere debent ut illis se conforment (1).

2. Ministri inferiores, quando accedunt ad altare vel ab ipso recedunt et cum ante illud transeunt, *in plano* genuflectere debent. Genuflexio super gradus altaris reservata est, ut ita dicam, Ministris maioribus; qui cum maiorem habeant potestatem magisque sacrosancti Missae sacrificii participent, ab inferioribus ministris discernendi sunt. Haec est generatim praxis Ecclesiarum almae Urbis.

3. Ad Offertorium acolythus qui ampullas ad altare defert, non debet genuflectere; patet ex iis quae supra num. 1, diximus. Genuflectere vero debet *unico genu* et *in plano*, si SS. Sacramentum sit expositum (*Baldeschi*, op. c. *Tom. IV, Appendix, Art. VI*).

4. In Missa solemni de *Requiem* ministri tam maiores quam minores non omittunt salutationes quae Choro fiunt, quando Chorus adest; intellige salutationes illas quae in hac Missa locum habere possunt. Idcirco in ingressu Chori, quando Nocturni cantati fuerunt, ideoque iam Chorus assistit, ad evangelium etc. Chorum salutant.

5. Minister Missae privatae debet caput Cruci inclinare non tantum, quando Missale ferens ex uno ad aliud latus altaris, in medium transit; sed etiam quando, Missali in suo loco posito, iterum ante altare transit, ut ad locum suum pergat. Ubi enim est eadem ratio, ibidem eadem debet esse legis dispositio. Notamus: Romae in nonnullis Ecclesiis non solum inclinationem in utroque casu fieri debet a

(1) Idem dicendum est de secundo acolytho quando velum calicis ad latus evangelii portat. Nam, si ante altare transit, in medio tantum genuflectit, sive in eundo sive in redeundo: si vero retro altare transit, genuflectit pariter eodem modo, ad latus altaris; supponitur enim in altari adesse adhuc SS. Christi Sanguis, uti revera generatim adest.

ministro, sed genuflexio, etiamsi non adsit in Altari SS. Sacramentum. Quae praxis nobis magis arridet magisque laudanda videtur.

6. In novendiali quod alicubi praemittitur festo Nativitatis Domini, ad *Magnificat* quod canitur post versus e S. Scriptura depromptos, *vulgo Profezie* dictos, incensatio altaris non potest dici praeceptiva; canticum enim *Magnificat* in functione extra-liturgica canitur. Sed ex praxi alicubi vigente et spiritu functionis, quae peragitur, nobis non videtur improbandus mos incensandi altare immo et Chorum.

7. Acolythi et alii ministri inferiores in sacris functionibus, quae solemniter peraguntur, quando aliquid agunt simul, haec prae oculis habere debent, nempe ne unquam terga ad altare vel sibi invicem vertant. Idcirco quando ab altari recedunt, dextra vel laeva manu se vertant, uti eorum standi modus requirit: quando vero aliquid aliud agunt, uti ex. gr. quando intorticia post *Sanctus* deferunt, facie ad faciem se vertere debent. Haec est regula generalis; sed in singularibus casibus nihil dicere possumus cum nimis varii sint.

II. *Pro Rucupis in America Sept.* 1. In Missis de *Requiem* iuxta *Caerem. Episcoporum* (Lib. II, cap. XI, num. 1) « nullo ornatu festivo, sed simpliciter et nullis imaginibus, sed sola cruce et sex candelabris » parari debet altare in quo celebratur. Idcirco reliquiae in altari poni non debent. Item: « gradus altaris et totum presbyterium sit nudum excepto quod unum tapete... super primo suppedaneo apud altare ponetur ». Nihil ergo dicit de candelabris et anteriori facie graduum, in quibus Crux et candelabra ponuntur, pannis nigri coloris cooperiendis. Immo huiusmodi mos videtur prohibitus a S. Rituum Congregatione: nam cum petitum fuisset « an tolerari possit ut tempore Missae et officiorum candelabra altaris... aliquo panno vel tela

permaneant vestita; imo ut et ipsa Crux eodem modo involvatur », responsum fuit : « Negative » (*Molinen 12 Sept. 1857, num.* **3059**-*5251, ad XI*). Quae prohibitio confirmata fuit in Decreto in *Collen.* datum die 31 Augusti 1872 (*Collect. Decret. Vol. III, num.* **3266**). Haec duo Decreta non loquuntur de Missa de *Requiem*, sed ratio prohibitionis nobis videtur applicari posse ad casum, inspecto etiam Caeremoniali Episcoporum, ubi, ut supra vidimus, altum servatur silentium de huiusmodi more altare et candelabra nigris pannis cooperiendi.

2. Idem Caeremoniale pro numero Candelabrorum statuit ut in Missis solemnioribus « adsint sex candelabra » cum respectivis cereis, qui iam initio Missae accendendi sunt. Quid ergo significet ille mos accendendi ad *Credo* vel ad *Sanctus*, omnia reliqua candelabra quae in altari sunt, nescimus. Contra Rubricas iste mos non erit, cum Rubricae nihil dicant in casu, sed praeter Rubricas saltem, immo et contra communem consuetudinem certe est.

3. Non licet unquam clerico vel alii qui Diaconus non sit, munere Diaconi in Missa solemni fungi. Diacono enim vi ordinationis « confertur *specialis* potestas in Missa solemni immediate assistendi presbytero et solemniter canendi evangelium », ait S. Thomas (*Suppl. quaest. 37 art. 4 ad 3 et seqq.. et art. 5 ad 5 etc.*). Quomodo ergo hanc *specialem* potestatem habebit ille qui ordinem diaconatus non suscepit? Res tam evidens est, ut nulla adsit legis dispositio circa munus Diaconi exercendum a non habente istum ordinem; nam ubi fundamentum deest, multo magis additamenta deerunt. Quod non evenit pro Subdiaconi munere fungendo.

4. Diacono non licet SS. Sacramentum exponere absque stola. Ita statutum est in Decreto (num. **4030**) datum die 9 Junii 1899. « Utrum ad exponendum et reponendum SS. Sacramentum, Diaconus adhibere semper debeat sto-

lam?» *Resp.* « Affirmative; duobus tantum exceptis casibus, prout in Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. XXIII, num. 12 et Cap. XXXIII, num. 20 ».

5. Quando expositio XL Horarum, non mane post Missam repositionis, sed Vespere terminatur, Missa repositionis mane non est canenda; nam cum reapse repositio non fiat, Missa ista prohibita est. Vespere vero repositio facienda est, uti fit in aliis SS. Sacramenti expositionibus.

6. Differentia, quae inter litanias Sanctorum communes et illas quae pro Expositione XL Horarum iuxta *Instructionem Clementinam* dicendae sunt, intercedit, magna non est, nam in istis desunt duae vel tres deprecationes, quae in illis sunt, et una adest quae in illis non habebatur, nempe: « ut Turcarum et Haereticorum conatus reprimere et ad nihilum redigere digneris, te rogamus etc. ». Insuper et orationes, quae sub fine dicuntur, peculiares sunt. In expositione ad formam *Instructionis Clementinae* istae litaniae dicendae sunt, quia ita iubetur in eadem Instructione (num. 24), donec saltem a competenti Auctoritate expungatur, nisi forte expuncta iam sit praefata additio.

III. *Pro America meridionali.* Decretum gen. d. d. 5 Iun. 1899 super Oratoriis edicit num. VI: « In Oratoriis autem, quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibusque Regularium, relativum Titularis festum, non celebrabitur, nisi in casu, quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerint ». Benedictio autem solemnis, de qua in casu, illa est quae in Rituali prostat (*Cap. 27, Tit. VIII*), sicut consecratio in Pontificali. Atqui Oratorium, de quo Rev. Consulens inquirit, ab Episcopo solemniter benedictum est, scilicet ut supponimus, prout in Rituali »; Ergo *a*) Sacerdotes dicti Oratorii servitio adscripti tenentur ad festum Tituli illius sub ritu dup. I cl. cum octava : *b*) a fortiori ad eius agendam commemorationem per octavam in officio, et etiam ad commemora-

tionem in suffragiis, nisi ratione chori communis, ex regula, ab his impediantur, non tamen a recolendo festo: *c*) item in Oratione *A cunctis*, ad Missam in dicto Oratorio celebrandam addere tenentur Titularis nomen.

IV. *Pro eod. loco.* In Missa de semiduplici occurrente in Vigilia Omn. Sanctorum, 1ª Oratio erit de festo: 2ª Oratio erit de Vigilia: 3ª erit *A cunctis*, non vero de Spiritu Sancto. Haec namque praescribitur in Rubrica Gen. Missalis (*Tit. IX, n. 9*) et ponitur in Missa praefatae Vigiliae, quia supponitur Missa fieri de eadem Vigilia, uti patet. At cum de semiduplici festo dicatur Missa, applicanda Rubrica loci citati, n. 2.

V. *Pro eod. loco.* Missam pro Sponsis esse votivam neminem latet; ergo Praefationis qualitas a norma desumenda est, quam pro Missis votivis Rubrica statuit. Haec autem dicit: « In Missis votivis dicitur Praefatio propria, si propriam habeant: si vero non habuerint (*ut in casu*), dicitur Praefatio de tempore vel octava, infra quam contigerit huiusmodi Missas celebrari: alioquin Praefatio communis ». Missae tamen defunctorum semper de communi Praefationem habent (*Rubr. Gen. Tit. XII, n. 1*). Hinc patet, propositionem sequentem « Praefationem in Missis Votivis de Sponsis esse semper communem » haberi posse ac deberi falsam.

VI. *Pro Rucupis.* Officium festi Maternitatis Deiparae satis est notum ex Decreto Cong.nis Clericor. Regular. Excalceator. SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. d. d. 9 Maii 1884 ad V, non posse transferri sine privilegio. Videat ergo adm. Rev. Consulens, an eiusmodi privilegium adsit, an non: si primum, translatum optime erit dictum officium: si alterum, illicite.

VIII. *Pro Neapoli.* Deficientibus vasis pro particulis fidelibus distribuendis in generali communione ad Missam solemnem, lex permittit ut sacrae particulae haberi possint

super corporale. Rubrica dicit: « Si fuerint aliae hostiae, non super patenam, sed super corporale, vel in alio Calice seu vase pro communione populi consecrandae, etc. etc. (*Rit. celebr. Tit. VII, n. 3*) ».

IX. *Pro eod. loco.* Cappellani in sacris non constituti, Missae Episcopi inservientes, privilegio secluso (quo nostrae Cong.nis alumni fruuntur), non possunt calicem abstergere et contrectare, sed id Episcopo agendum relinquere debent. Non constat nobis, Episcopum dare posse suis Cappellanis dictam facultatem, quam indulgere Summi Pontificis est.

X. *Pro eod. loco.* Certum est, impraesenti saltem, fundum coloratum supponi licite posse textili denticulato, vel operi phrygio in manicis et fimbriis Albarum. Ita explicite Decretum in Romana d. d. 12 Iul. 1892, n. **3780** ad V.

XI. *Pro Utino.* Festum Sept. Dolorum Deiparae, mense Septembri occurrens, si transferendum sit, impeditur indubie ab alio eiusdem Deiparae festo secundario, quod die sua recolendum est. Decretum Gen. d. 23 Apr. 1895. num. **3851** id dicit, sed Rubrica emendata Missalis, uti et Breviarii id tacet. Omissio certe est, in novis editionibus corrigenda. Supponi enim nequit, festum translatum, ceteris paribus, festo occurrenti posse praevalere.

XII. *Pro eod. loco.* Missa pro Sponsis dici nequit infra Octavam Corporis Christi, quae privilegiata sit ad instar Octavae Epiphaniae. « Qui enim, scribit De Herdt, dies duplicia 2. cl. excludunt, etiam Missam votivam pro sponso et sponsa excludunt et prohibent (*Prax. Lit. pars 6, num. 279, 3*) ». Ius novum non est, sed antiquum ; hinc, etsi praescindas a Decreto Gen. n. 3922, VI, stat adhuc Decretum in *Dertonen.* d. d. 20 Apr. 1822, num. **2619** (4587) ad 5).

ALLELUIA

SPECIMEN

Biblicum, historicum, liturgicum.

(Cont. vid. n. 2 an. praes. pag. 112).

Alleluia pariter uti laetitiae significationem perpenso, partibusque singulis anni liturgici gaudium nequaquam exprimentibus in mente habitis, facile intellectu est illius usum ad omnia anni tempora multis in Ecclesiis non fuisse extensum. Hinc « Cuncti tractus fletum et tristitiam in humilitate sonorum denuntiant » scribit Rupertus Tuitiensis, « tristitiae tempus exigit, ut *alleluia*, quod laetantium carmen est, intermitteretur. Bene ergo tractus, qui interim pro *Alleluia* cantatur, altitudinem atque excellentiam gaudii, gravi succentu, et modestis declinat incessibus (1) ». Similiter inclytus Durandus: « A Septuagesima usque ad Pascha non cantatur *Alleluia*, quia tempore tristitiae non debet decantari carmen laetitiae (2)».

Verum hic quoque animadvertendum quod circa diversam mortis considerandae rationem nuper exposuimus; et modus ipse alius perpendendi Liturgiam, praefatorum tristitiae laetitiaeque temporum distinctionem nobis suppeditat argumentum. Si intimam cultus naturam praecipue scrutemur, quem in exercenda Liturgia Deo tribuimus, quaevis anni pars, quaecumque il-

(1) De Div. Off. Lib. IV, Cap. VI.

(2) Ration. Div. Offic. Lib. IV, Cap. 20, n. 6).

lius sit forma, semper argumentum est laetitiae. Honor Deo redditus eiusmodi est, ut corda fidelium dulciter in eo se placeant: « Bonum est confiteri Domino et psallere nomini tuo, Altissime ». Nec satis forma refert: sint preces ad divinas miserationes implorandas, sint ieiunia, sint afflictionum opera, omnia semper gaudii rationem habent, cum abunde constet, ea omnia in Dei honorem redire. Fletus idem e scelerum confessione ortus, quo humanae fragilitatis culpae abluuntur, gaudii ac laetitiae initium constituunt, unde *exultabunt ossa humiliata*, scripsit regius psaltes. Hac sub ratione Liturgia inspecta, nulla foret, esto in tempus, *Alleluia* cantum excludendi causa. Nihilo tamen minus symbolici sensus, quem in tota Liturgia reperimus, habenda est ratio. Cultus, qui Deo tribuitur in Ecclesia, suam possidet basim in divini Institutoris terrestri vita, quae vel ab exordio supremus latriae actus indesinenter fuit, et suam adeptus est perfectionem in sacrificio crucis. Idcirco christianus cultus, cuius principium et finis Eucharistia, in altaris sacrificio completur, quod sacrificii crucis memoriam iterationemque incruentam fides profitetur. Ecclesia igitur, cultum quod attinet, Christi vitae, morti ac resurrectioni nititur; eamdemque vitam, sicut et Christi missionem in terra annus liturgicus compendifacit. Hinc huius in tres praecipuas periodos partitio, Nativitatem, Pascha et Pentecostem. Nativitas, mortis Christi vitae principium est: Pascha, eiusdem vitae perfectio, atque immortalis initium: Pentecostes autem, initium vitae Ecclesiae ad promissa complenda Christi.

Nativitatem Adventus parat, eaque in pluribus diversisque manifestationibus divini Verbi explicatur, donec ad vitam absconditam pervenitur, quam in Nazareth degit. Pascham praeparat tempus, quod a Septuagesimae Dominica incipit, et usque ad Domini Ascensionem prosequitur. Pentecostem praeparant decem illam praecedentes dies, qui et spiritalem memorant secessum Apostolorum discipulorumque in expectatione Sancti Spiritus, quem super ipsos a Patre missurus erat Chri-

stus. Haec autem ad reliquum anni temporis quadam ratione protrahitur, quatenus omnes Dominicae ad Adventum usque subsequentes a Pentecoste computantur. Hoc vitae Ecclesiae tempus indicat, quae caelesti propemodum coniuncta sponso, pergit adhuc sanctificationis atque institutionis opus, filiis suis illius exempla doctrinamque sectanda proponens. Eiusmodi liturgici anni partium distinctione posita, quae diversis vitae Christi mortalis partibus apprime respondet, diversitas quoque tristitiae ac laetitiae temporum nullo negotio sequitur. Tempus profecto, quod Redemptoris nostri demissiones animi commemorat, laetitiae fidelibus esse nequit; at cum eius triumphos recolimus, quid mirum, si nos invitet Ecclesia, ut in cordis gaudium et iubilum erumpamus? « Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea! » Atque ita ob reconditum symbolismum Liturgia dramaticae sublimis formam assumit; nulloque tunc labore concipitur, qua de causa nunc ad sequendam, nunc vero, quamvis laetari semper corde possimus, ad laetitiam abrumpendam externis signis invitemur: ut institutionem teneamus, quam in exteriori cultus ordine nobis tradit Ecclesia.

Superius retulimus Augustini verba, quibus statutos ipse innuit dies pro cantu *Alleluia* determinatos: « *Alleluia* certis quidem diebus cantamus, sed omni die cogitamus». At in Christi Ecclesia ad iubilum significandum quamprimum *Alleluia* liturgice acceptum est, uti in Synagoga obtinuerat. Pro hac nihilominus, quemadmodum superius vidimus, peculiaris erat festi paschalis cantus; quinimmo innuimus, quomodo in christianorum conventibus hac via fortasse invaluisset. Haud ergo difficile intellectu est, quomodo verbum illud et apud Christianos paschalis iubilationis demonstratio fieret. Ceterum quodnam totius christianae spei fundamentum, nisi mors et resurrectio Christi? Est igitur *Alleluia* vehementior paschalis iubilationis manifestatio: ut in Liturgia, sive secundum histo-

riam, sive secundum disciplinam, a festo paschali initium sumat.

Primum quidem secundum historiam, ut inde facile cavillationes explicentur Vigilantii, in quem Hieronymus scribit, uti visum est. In Breviario, de magno Gregorio scriptum legimus. « Constituit, ut extra id tempus, quod continetur intra Septuagesimam et Pascha, *Alleluia* diceretur ». At pro veritate fatendum, lectionem relati textus divi Gregorii, quae hoc super negotio citatur, haud securitate pollere, neque illius significationem satis esse perspicuam. Si *Coustant* sit adhibenda fides, legendum foret : « Ut *Alleluia* hic *(Romae) non* diceretur (extra Pentecosten) de Hierosolymorum Ecclesia, ex beati Hieronymi traditione, tempore beatae memoriae Damasi papae traditur tractum. Et ideo magis in hac re illam consuetudinem amputavimus, quae hic a Graecis fuerat tradita (1) ». Alii autem ita praefatum legunt textum ut particulam *non* supprimant: « Ut *Alleluia* hic diceretur » etc. Compertum inde est, sive una, sive altera usurpetur lectio, opus esse ut quod cantum attinet *Alleluia* extra tempus paschale, diversa consuetudo ex traditione admittatur. Incerta dein res est quaenam sit consuetudo, quam invexerunt Graeci, et divus Gregorius ex sua confessione abrogavit. Consuetudo fortasse erat dicendi quocumque anni tempore *Alleluia*, quae ne funerea quidem officia excipiebat, uti Romae, aetate saltem Hieronymi, viguit, quod ex Epistola huius Sancti Doctoris ad *Oceanum* iam intulimus.

Ceterum divi Augustini aetate *Alleluia* usus extra paschale tempus alicubi indubie vigebat : « Ut *Alleluia* per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, ipse scribit in litteris ad Ianuarium, non usquequaque observatur ; nam et aliis diebus *(id est praedictis quinquaginta)* ubique » (2).

(1) Epist. Lib. IX, Cap. 12.

(2) Epist. 55, Cap. 32.

Verum ante Gregorii tempora, sanctus Benedictus in sua Regula dies, quibus *Alleluia* canendum erat a suis Monachis, constituerat. Capite namque XV legitur: « A sancto Pascha usque Pentecosten sine intermissione dicatur *Alleluia*, tam in Psalmis quam in Responsoriis. A Pentecoste autem usque in Caput Quadragesimae, omnibus noctibus cum sex posterioribus Psalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni vero Dominica extra Quadragesimam cantica matutini, prima, tertia, sexta, nonaque cum *Alleluia* dicantur. Vespera iam cum antiphona, Responsoria vero numquam dicantur cum *Alleluia*, nisi a Pascha usque Pentecosten.

Utut se res habeant, haud consuetudinum varietate obstante, hoc tamen extra controversiam positum est, tempore paschali esse *Alleluia* canendum. Hinc aequitate plena dicenda, quam ab Augustino factam vidimus, animadversio: « Aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus *(tempore paschali)* ubique. » Pro certo itaque habendum est atque in tuto positum, historice *Alleluia* a solemnitate paschali habuisse originem.

Sed etiam iuxta disciplinam, diximus, ab eadem solemnitate incipit. Cantus enim *Alleluia* inchoat Sabbato Sancto in Ecclesia post annunciatam Christi resurrectionem. Caeremoniale Episcoporum Capite XXVII, n. 25 praescribit: « Finita Epistola Subdiaconus, dimisso libro in manu caeremoniarii, immediate accedens ante sedem Episcopi, clara voce dicit: Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est *Alleluia*, et statim accedens osculatur eius manum. Tunc is, cui ex officio id incumbit, vel aliquis Canonicus praeintonat Episcopo *Alleluia*, qui surgens sine mitra ter cantat *Alleluia* semper elevando vocem gradatim: et chorus post quamlibet vicem repetit illud idem, et postea chorus prosequitur versiculum *Confitemini Domino, etc.*» Trina repetitio cum sibi succedente elationis voce, in Liturgia solemnius alicuius ritus tempus indicat, uti videre licet in Consecrationibus, in Ordinationibus, in Be-

nedictione Fontis, atque in Sanctae Crucis detectione, quae feria VI in Parasceve persolvitur. Trinus numerus symbolica res est; primo ad honorandum Deum, quem unum et trinum ex fide confitemur, secundo ut triplicem significemus Ecclesiae statum, militantis, purgantis ac triumphantis quae in summi Dei laude coniungitur. Vox, quae gradatim extollitur conatum exprimit nostrum, ut ex imo infirmitatis humanae, Dei solii celsitudinem attingamus. Quis unquam *Alleluia* cantui adstitit in Sabbato Sancto, nec ad medullas animi usque se commovit? Quis praesens, nec tam simplici sublimique illius melodia extra se rapi visus fuit? Quanta notae illae, quo pauciores numero, eo virtute potiores, efficacia polleant, et nos experti nuper fuimus, dum in *Resurrectione Christi* a cl. *Perosi*, iuniore quidem sed iam celebriori, exarata, liturgicum omnino *Alleluia* melos auribus nostris audivimus.

Cantus *Alleluia* in Sabbato Sancto paschali tempori dat initium, nec deinceps quibusvis circumscribetur terminis Ecclesiae laetitia, in Christi sponsi sui caelestis Resurrectione exultans. Dies iam illi gloriae plenos rediisse diceres, quos senex Tobias praedixit, cum ab instaurata Ierosolyma clamabat: « Per vicos eius *Alleluia* cantabitur (1) », vel triumphum et gaudium caeleste, quem Ioannes in Apocalypsi describit (2). Ex symbolica nihilominus ratione adhuc Tractus in Sabbato Sancto concinitur, quod licet Christus e sepulcro egressus, nondum tunc temporis omnibus manifestus recolitur.

Verumtamen Ecclesiae iucunditas, quae statim plenaque erumpet, nec ullos intra fines coarctabitur. Veluti quotidianus cibus *Alleluia* evadet: ut versus sit nullus, nulla ex Antiphonis, nullum Responsorium, quod non consociaverit *Alleluia*. Offertorium, Communio, ipsaque facta adstantibus abeundi potestas per nota verba *Ita Missa est*, in actu antonomastice

(1) Epist. XIII, 22.
(2) Cap. XIX.

liturgico per *Alleluia* complebitur, quod imo in tota paschali hebdomada iterabitur. Duplex pariter *Alleluia* Laudem *Benedicamus Domino* consociabit, qua singulae Dei operis partes absolvuntur. Quinimo, antiquo troporum tempore industri mente ac simplici alter ex illis pro dicta Laude fuit adinventus, quem intercalare *Alleluia* verbum continuo absolveret. Eiusmodi melos, extraliturgicum quidem, venustate atque ingenuitate repletum, hodiedum multis in Ecclesiis sub fine divinorum Officiorum adhuc viget, et a populo decantatur. Ab re non erit illud lectoribus palam facere: ad saeculum quartumdecimum probabiliter ascendit et sic se habet:

O filii et filiae,
Rex coelestis, rex gloriae
Morte surrexit hodie.
Alleluia.

Et Maria Magdalene
Et Iacobi et Salome
Venerunt corpus ungere.
Alleluia.

A Magdalena moniti
Ad ostium monumenti
Duo currunt discipuli.
Alleluia.

Sed Ioannes Apostolus
Cucurrit Petro citius,
Ad sepulchrum venit prius.
Alleluia.

In albis sedens angelus,
Respondit mulieribus
Quia surrexit Dominus.
Alleluia.

Discipulis astantibus,
In medio stetit Christus,
Dicens: Pax vobis omnibus.
Alleluia.

Postquam audivit Didymus
Quia surrexerat Iesus,
Remansit fide dubius.
Alleluia.

Vide Thoma, vide latus,
Vide pedes, vide manus,
Noli esse incredulus.
Alleluia.

Quando Thomas Christi latus,
Pedes vidit atque manus,
Dixit: Tu es Deus meus.
Alleluia.

Beati qui non viderunt
Et firmiter crediderunt,
Vitam aeternam habebunt.
Alleluia.

In hoc festo sanctissimo
Sit laus et iubilatio:
Benedicamus Domino.
Alleluia.

De quibus nos humillimas
Devotas atque debitas
Deo dicamus gratias.
Alleluia.

APPENDIX

I.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad pedes S. V. provolutus, humillime quae sequuntur exponit:

Per Decreta S. R. et U. Inquisitionis dierum 20 februarii 1888 et 1 martii 1889, S. V. benigne facultatem fecit locorum Ordinariis, Parochis communicabilem, etiam per habitualem subdelegationem, qua, urgente mortis periculo, dispensare valeant cum iis, qui iuxta leges civiles sunt coniuncti, aut alias in concubinatu vivunt, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto S. Presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant.

Iamvero quaestio hac in re exorta est inter viros theologos, utrum vi praedictarum facultatum, liceat Episcopo, data necessitate, dispensare etiam ab impedimento clandestinitatis: aliis quidem affirmantibus, quia nulla de eo fit exceptio in generali concessione: aliis vero negantibus, quia finis concessionis est, ut morituri rite in faciem Ecclesiae copulentur, quod importare videtur servandam esse, saltem quoad substantiam, formarum solemnitatem a Tridentino sub nullitate praescriptam.

Hisce praehabitis, Episcopus orator S. V. enixe efflagitat, ut definire pro sua benignitate non dedignetur:

Utrum in citatis Decretis vere comprehendatur etiam facultas dispensandi ab impedimento clandestinitatis: adeo ut ex. gr. Parochus, ab Episcopo habitualiter delegatus, possit in sua Paroecia vel coniungere non suos sed extraneos inibi casu exi

stentes, dispensando a praesentia Parochi proprii, ad quem nullimode valeat haberi recursus; vel etiam coniungere suos, sed sine testibus, pariter dispensando ab eorum praesentia, cum omnino non sint qui testium munere fungi possint.

Et Deus etc.

Feria IV, die 13 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem E.mi ac R.mi Patres respondendum mandarunt:

Affirmative.

Sequenti vero feria VI, die 15 eiusdem mensis et anni, per facultates E.mo ac R.mo D.no Cardinali S. Officii Secretario concessas SS.mus D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII resolutionem E.morum ac R.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

II.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N. ad V. S. pedes provolutus, quae sequuntur humiliter exponit.

Parochus N. N. in hac Dioecesi, iuxta Ritualis Romani praescripta, iuxta etiam preces mulieris praegnantis et graviter decumbentis, super hac muliere, iam certo mortua, curavit ut operatio caesarea fieret. Medicus absens erat, et operatio facta fuit ab alia persona capaci. Puer vivus erat et fuit baptizatus. Propter hoc factum praefatus parochus fuit accusatus, sed a iudicibus civilibus sine ulla condemnatione remissus. Postea autem, et propter idem factum, dictus parochus a Gubernio stipendio annuo fuit privatus.

Quaeritur ergo:

1° Parochus N. N. egitne recte curando ut fieret operatio,

medico deficiente, ab alia persona capaci, morte quidem certa, sed non legaliter recognita?

2° Parochus, vel alius sacerdos, debetne curare ut, in iisdem supradictis circumstamtiis, operatio, de qua agitur, fiat, etiam quando sequi debet privatio annui stipendii?

Et Deus etc.

Feria IV, die 13 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem E.mi ac R.mi Patres respondendum mandarunt:

Detur Decretum S. Officii diei 15 Februarii 1780 ad Vicarium Apost. Sutchuen.

Porro citatum Decretum sic se habet:

« Ubi de rebaptizandis Rituale Romanum hoc praescribit « scilicet: *Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quampri-* « *mum caute extrahatur*, huc usque inter christianos casus oc- « currit, sed regula praescripta nunquam observata est, neque « unquam promulgata. Rationes sunt: summa repugnantia quam « Sinenses habent ad eiusmodi sectionem, absoluta apud ipsos « artis anatomicae imperitia, gravissimum periculum atroces ca- « lumnias contra religionem excitandi, gravesque persecutiones « sustinendi cum discrimine salutis et vitae, saltem pro iis qui « sectionem tentare auderent, si factum ad notitiam gentilium « perveniret, quod admodum facile est. Causae praedictae pos- « suntne silentium excusare?

« Resp. Etsi caute prudenterque agendum sit, ne, cum pau- « cos quaerimus, multos amittamus, agendum esse tamen, et « sectionis a Rituali praescriptae notitia ingerenda, ne oblivisci « videamur eos, quos abundantiori charitate manifestum est indi- gere. Erit proinde e missionariorum debito, paulatim et oppor- « tune commonere Sutchuenses de miserrima parvulorum perdi- « tione in uteris matrum decedentium, quibus opitulari nihilo- « minus, quoad humanae possunt vires, postulat christiana

« charitas, postulat ecclesiastica sollicitudo. Neque improbum « videri debere Sutchuensibus aut ullis fidelibus secare matrem « mortuam, cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra « redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pie- « tate remotum, pro inani integritate pudoreque servando de- « functae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. « Certe, non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. « Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo « matris, quamvis patefacienda, ut diximus, ac persuadenda sit, « expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii « in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, « multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fue- « rit illius notitiam edidisse, curasseque ut eius superficiendae « rationem perdiscant qui chirurgicis intendunt, laici homines, « tum vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri « ac muneri reliquisse » (1).

Sequenti vero feria VI, die 15 eiusdem mensis et anni, per facultates E.mo ac R.mo D.no Cardinali S. Officii Secretario concessas, SS.mus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII resolutionem E.morum ac R.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

---

(1) Ex hoc decreto colligere possumus:

a) Operationem caesaream, post obitum matris, non tantum licitam esse sed necessariam: agitur de salute aeterna per baptismum foetui procuranda.

b) Sacerdotem assistentem vel parochum curare debere ut haec operatio a viris peritis quam primum fiat.

c) Debent tamen, in quantum fieri potet, legibus civilibus circa confirmationem legalem mortis, et titulos illi qui operationem facit necessarios, obtemperare.

d) Si vero haec adempleri non possunt, et mors praegnantis certa sit, adsit autem aliquis, qui, quamvis titulum legalem non habeat, nihilominus in operando peritus sit, caveant ne ipsi illi iubeant ut operetur; poterunt tamen parentes exhortari ut ipsi iubeant illis demonstrando necessitatem aeternae salutis pro foetu.

e) Multo magis vero caveant, abstineant ne ipsi suis manibus huiusmodi operationes faciant.

(Nota Commentarii: *Il Monitore Ecclesiastico*).

III.

Beatissime Pater,

Superior Generalis Ordinis N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter postulat ut declarare dignetur:

Utrum resolutio S. R. et U. Inquisitionis diei 3 Maii 1899 a S. V. approbata die 5 eiusdem mensis et anni, qua declaratum fuit omnes facultates speciales a Sancta Sede habitualiter concessas Episcopis aliorumque locorum Ordinariis, licet ad praefinitum tempus, ob eorum mortem vel a munere cessationem ad Successores transire, se extendat ad omnes Superiores.

Et Deus etc.

Feria IV, die 20 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis coram EE.mis ac RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, proposito supradicto dubio, prachabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum decreverunt:

Supplicandum SS.mo pro extensione decreti fer. IV, 3 Maii 1899, ad Superiores Generales Ordinum Religiosorum.

Sequenti vero fer. VI, die 22 eiusdem mensis et anni, per facultates E.mo ac R.mo D.no Cardinali S. Officii Secretario tributas, SS.mus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII. resolutionem EE.morum ac RR.morum Patrum adprobavit, ac extensionem praedictam benigne concessit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

IV.

Beatissimo Padre,

Il Procuratore Generale della Congregazione Religiosa N. N., prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone quanto appresso:

È stato dichiarato dal S. Uffizio nel dì 23 agosto 1899 che col decreto che vietava ai Superiori delle Comunità Religiose di confessare i proprii sudditi non si è derogato ai decreti di Clemente VIII, i quali stabiliscono che i Novizii degli Ordini Religiosi non solo possono, ma debbono confessarsi col proprio Maestro che è il Superiore del Noviziato. Più, che i Superiori possono confessare i proprii sudditi quando trattasi di peccati riservati, ovvero quando ne siano da essi liberamente richiesti.

Ora essendo stato detto nella dichiarazione che i prefati decreti di Clemente VIII non sono stati derogati *quoad Ordines Religiosos*, si domanda se tale dichiarazione vale anche per le Congregazioni religiose di voti semplici, che hanno voti perpetui, vivono in vita comune e sono approvate dalla Chiesa.

Che ecc.

Feria IV, die 20 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ab EE.mis ac RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito supradicto dubio, prachabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum decreverunt:

Negative.

Sequenti vero feria VI, die 22 eiusdem mensis et anni, per faoultates E.mo ac R.mo D.no Cardinali S. Officii Secretario concessas, SS.mus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

E S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

AUGUSTANA

DUBIA VARIA

DE CONFRATERNITATIBUS A SS.MO ROSARIO NUNCUPATIS

Episcopus Augustanus plura dubia huic S. Cong.ni Indulgentiarum dirimenda proposuit, quae, post Constitutionem « *Ubi primum* » de Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis nuper editam iussu SS.mi D.ni Nostri Leonis Papae XIII, ipsi oborta sunt. His et alia superaddidit, quae ex nonnullis Decretis huius S. C. repetenda videntur, eo quod quaestio movetur an, et quomodo illa Confratenitatibus SS.mi Rosarii sint applicanda.

Dubia vero proposita sunt sequentia:

I. « In Dioecesi Augustensi iampridem existunt fere in omnibus ecclesiis parochialibus Confraternitates SS. Rosarii, quin tamen habeantur litterae patentes Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum in plerisque locis deperditae. Quamobrem orator petit, utrum ad canonicam Confraternitatis existentiam sufficiat per aliquod documentum, puta, per processum verbalem ipsius erectionis, vel inscriptionem commemorativam in Regesto sodalium Confraternitatis, aliudve huiusmodi in documento authentico asservatum, certam haberi notitiam quod litterae Magistri Generalis pro tali ecclesia iam concessae fuerint, an vero novae requirantur litterae patentes ipsius Magistri Generalis? »

II. « An per Decretum S. C. Indulgentiarum d. d. 20 Maii 1896 in una « Ordinis Praedicatorum » ad 11^um^

abrogata censeatur lex a S. C. Indulgentiarum die 8 Ianuarii 1861 sancita (in formula servanda in substantialibus pro erectione Confraternitatum) sub. n. V, hisce verbis expressa: « quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae, praevia cognitione Ordinarii, dumtaxat promulgentur? ».

Et quatenus negative:

III. « An cognitio Ordinarii exprimi debeat in scriptis ad calcem Summarii Indulgentiarum? »

IV. « An piae Unionès Rosarii Viventis », a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum institutae, subiaceant praescriptionibus Clementinae « *Quaecumque* », sicut et Confraternitates SS. Rosarii, ad tramitem Decreti S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una « Urbis et Orbis » ad I^um^? »

V. « An Episcopus tolerare possit sive Confraternitates proprie dictas, sive pias Uniones sub SS. Rosarii titulo, absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum a parochis, vel aliis sacerdotibus institutas, etiam cum conditione vel praetextu, quod huiusmodi Confraternitates vel piae Uniones non gaudent privilegiis et indulgentiis Confraternitatum SS. Rosarii? »

VI. « An, non obstante Decreto S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Agusti 1897 in una « Urbis et Orbis », vi specialis privilegii Rectores Confraternitatum SS. Rosarii albo suae Confraternitatis permittere valeant inscribi nomina defunctorum, etiam ad hunc finem dumtaxat, ut defuncti fiant participes meritorum Confraternitatis, et precibus sodalium commendati habeantur? »

VII. « An Decreta S. C. Indulgentiarum d. d. 12 Decembris 1892 in una « Coloniensi », et 15 Novembris 1893 in una pariter « Coloniensi » pro sodalitate S. Scapularis, applicari possint Confraternitati SS. Rosarii, ita ut confratres SS. Rosarii recepti vel inscripti a sacerdotibus facultatem habentibus, omnes indulgentias Confraternitatis lucrentur vi ipsius legitimae receptionis, etiamsi

eorum nomina cum nominibus aliorum sodalium in albo Confraternitatis non sint adhuc materialiter inscripta ? »

VIII. « An, stante privilegio Confraternitatis SS. Rosarii, quo gratia concessa a S. Sede non censetur revocata, nisi fiat de ea specialis mentio, sacerdotes, utentes formula ab Innocentio XI praescripta pro Indulgentia a Confratribus SS. Rosarii in articulo mortis lucranda, valide agant, an vero debeant uti in formula data in Constitutione Benedicti XIV *Pia Mater* ? »

IX. « An formula pro indulgentia acquirenda a Confratribus in articulo mortis recitari valeat dumtaxat a Rectoribus Confraternitatum et sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero, quoad Confratres SS. Rosarii, a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem? »

X. « An Confraternitates SS. Rosarii erectae a Legatis Apostolicis, Nuntiis, ceterisque Praesulibus vi specialis facultatis apostolicae, indigeant nova erectione per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum? »

Et E.mi ac R.mi Patres in Congregatione Generali habita ad Vaticanum rescripserunt die 3 Augusti 1899:

Ad I^um^ *Affirmative ad* 1^am^ *partem; Negative ad* 2^am^.

Ad II^um^ *Negative.*

Ad III^um^ *Non est necesse.*

Ad IV^um^ *Negative.*

Ad V^um^ *Reformato dubio uti sequitur:*

An per Apostolicas Literas « *Ubi primum* » datas a SS. D. N. Leone Pp. XIII die 2 Octobris 1898, Episcopis aliisque gaudentibus facultate in genere erigendi Confraternitates, revocata fuerit facultas erigendi Confraternitates vel Pias Uniones sub titulo SS. Rosarii absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum ?

Respondendum: *Supplicandum SSmo, ut dignetur mentem suam pandere.*

Ad VI^um^ *Negative, facto verbo cum SS.mo.*

Ad VII^um^ *Affirmative.*

Ad VIII^um^ *Reformato dubio uti infra:*

An pro impertienda plenaria indulgentia in articulo mortis Confratribus SS.mi Rosarii, adhibenda sit formula ab Innocentio XI adprobata, an vero formula a Benedicto XIV praescripta in Constitutione « *Pia Mater* » ?.

Respondendum : *Negative* ad 1am partem ; *Affirmative* ad 2am.

Ad IXum *Reformato dubio hoc modo :*

An benedictio in articulo mortis cum adnexa plenaria indulgentia Confratribus SS.mi Rosarii impertienda sit a sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatarum delegatis, an vero a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem ?

Rescribendum : *Negative* ad 1am partem; *Affirmative* ad 2am.

Ad Xum *Non propositum.*

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione SS.mo D.no Nostro Leoni Papae XIII, in audientia habita die 10 Augusti 1899, SSmus omnes resolutiones Em.orum Patrum benigne adprobavit, mentemque suam quoad Vum dubium pandere dignatus est expresse edicens : « Revocavimus, et ut revocatas haberi volumus facultates quibuscunque concessas erigendi Confraternitates piasque Uniones sub titulo SSmi Rosarii sine litteris patentibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum ; ita ut si quae in posterum erigantur sive Confraternitates sive piae Uniones sub titulo SS.mi Rosarii absque praefatis litteris, nullis gaudeant beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem a SS. Rosario auxerunt; quin imo nec gaudeant aliis indulgentiis, quae communiter conceduntur omnibus sub quovis titulo Confraternitatibus canonice erectis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae die 10 Augusti 1899.

Fr. Hieronymus M. Card. Gotti, *Praef.*

L. ✠ S.

† A. Sabatucci Archiep. Antinoen. *Secr.*

TREVIRENSIS

DE EXTENSIONE INDULGENTIARUM PSALMI « EXAUDIAT » AD TERTIARIOS SAECULARES S. FRANCISCI ASSISIENSIS.

Iam inde ab anno 1623 sub die 23 Decembris a f. r. Urbano VIII Eremitis Monachis Camaldulensibus indultum erat, et dein a s. m. Pio Pp. IX sub die 7 Augusti 1868 extensum fuit ad Fratres Minores, quos Capuccinos nuncupant, in Coenobiis degentes privilegium ut sequitur: « qui « (ex eis) confessi et s. Synaxi refecti fuerint et Psalmum « cuius initium est " *Exaudiat te Dominus* etc. „ cum « orationibus pro Romano Pontifice et S. Matre Ecclesia « recitaverint, et qui illa recitare ignoraverint, eiusdem « Psalmi et orationum loco ter Orationem dominicam et « toties Salutationem angelicam dixerint, ac simul pro « nnione et pace inter Principes christianos confovenda ac « fidei catholicae exaltatione oraverint, eas omnes indul- « gentias et peccatorum remissiones consequentur, quas « consequerentur et consequi possunt, si quadragesimis et « aliis anni temporibus et diebus Ecclesias et pia loca quae- « cumque tam in alma Urbe nostra, quam extra eam et « alibi ubicumque locorum, terrarum et gentium in Orbe « christiano existentia, in quibus stationes essent indictae, « ac Christifidelibus illas visitantibus indulgentiae et aliae « gratiae spirituales sunt propositae, personaliter visita- « rent et ad illa se conferrent ».

Iam vero quum per Breve Apostolicum d. d. 7 Iulii 1896 Ss.mus D.nus Nr. Leo Pp. XIII denuo concessisset ad quinquennium, ut sodales Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci participes essent indulgentiarum quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, factum quoque est ut Sodalibus praedicti Tertii Ordinis Indulgentiae pro recitatione Psalmi " *Exaudiat* „ communicatae censerentur; quod alicubi edi et vulgari coeptum est per libellos, schedulas vel foliola. Quum vero de tali communicatione non

omnes idem sentiret, id permovit Episcopum Trevirensem, ut hanc S. Cong.nem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam adiret et quaereret:

An sustineatur asserta communicatio huius indulti de Psalmo Exaudiat *omnibus Sodalibus Tertii Ordinis Saecularis Franciscalis, vel saltem Sodalibus qui ab Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum dependent?*

Factaque de praefatis omnibus relatione SS.mo D.no N.ro Leoni Pp. XIII per me infrascriptum S. Cong.nis Praefectum in audientia mihi concessa die 29 Augusti 1899, Sanctitas Sua ad utramque quaesiti partem respondit:

Negative:

Et hanc solutionem communicari mandavit R.mis Ordinariis, ut nec typis imprimi nec fidelibus annuntiari permittant assertam communicationem concessionis de qua agitur.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 29 Augusti 1899.

FR. HIERONYMUS M. Card. GOTTI *Praefectus.*

Pro R. P. D. Ant. Archiep. Antinoen. *Secret.*

L. ✠ S.

Ios. M. Canonicus Coselli *Substitutus.*

IMPRIMATUR.

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR.

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.